M. SCHODEL, DE REGNO HUNGARIAE. 1630

GRÓF APPONYI SÁNDOR MAGYAR KÖNYVTÁRA
S. MAGISTRI GHOME

№ 819.

RMK ~~III. 1460.~~
~~2. péld.~~

Teljes



Cum Deo.

DISQUISITIO
HISTORICO-POLITICA,
DE

REGNO HUNGARIÆ:

QUAM

In Inclytâ Vniversitate Argentoratensi,

Patrocinante

CLARISSIMO VIRO,

DN. MATTHIA BERNEGGERO, HISTORIARUM IN EADEM PROFESSORE ORDINARIO DIGNISSIMO, Dn. Præceptore & Fautore perpetim observando, colendo,

PUBLICÆ ET AMICABILI CENSURÆ *subjicit*

AUCTOR

MARTINUS SCHÖDEL,
Posonio-Hungarus.

Calend. Octob. in Auditorio Majori.

Sidon. Apollinar.
Summas in affectu partes jure sibi usurpat terra, quæ genuit.

ARGENTORATI
Typis JOHANNIS REPPI, Anno 1630.

PERILLUSTRI ET
GENEROSISSIMO COMITI
AC DOMINO,
DN. NICOLAO EZTERHAZI
DE GALANTHA, PERPETVO
DE FRAKNO;
REGNI
HVNGARIÆ PALATINO, ET IVDICI CVMANORVM
COMITATVVM,
SOPRONIEN., ZOLIEN, ET DE BEREGH COMITI,
EQVITI AVREI VELLERIS:

NEC NON

SACRATISSIMI PRINCIPIS ET DOMINI,
DOMINI FERDINANDI II.
DEI GRATIA
ELECTI ROMANORVM IMPERATORIS
SEMPER AVGVSTI,
AC
GERMANIÆ, HVNGARIÆ, BOHEMIÆ, &c. REGIS,
ARCHIDVCIS
AVSTRIÆ, DVCIS BVRGVNDIÆ, &c.
INTIMO CONSILIARIO,
ET
PER HVNGARIAM LOCVMTENENTI &c.
MOECENATI
AC DOMINO MEO GRATIOSISSIMO
CLEMENTISSIMO.

VT ET VIRIS,
NOBILISS. STRENVISS. PRVDENTISS. AMPLISSIMISQVE DOMINIS:
JUDICI, CONSULI, CAPITANEO ET SYNDICO,
TOTIQVE
ORDINI SENATORIO,
REGIÆ, LIBERÆ AC PRIMARIÆ IN HVNGARIA
CIVITATIS POSONIENSIS,
DNN.
PATRONIS, PATRIÆ PATRIBVS, VNICE
COLENDIS,
LVBENTER MERITO DEDICAT CONSECRATQVE
Autor: Iisdemque

ORSZ. SZÉCHÉNYI KÖNYVTÁR

S. P. D.

STudiorum meorum primitias, & hunc ingenioli fœtum ac monumentum, proprio Marte compositum, & variè conquisitum ex Hungarorũ Annalibus, & Scriptoribus tam priscis, quam hodiernis, visum est mihi, liberrimo ingenii cursu in ordinem redigere sub Disquisitionis *titulum: idemq; sub tutela Splendidissimi nominis Vestri, Mœcenates & Patroni Inclyti, in lucem dare. Ne verò quidam temerè hoc factum putent, occurrendum his talibus est, ut rationes quibus adductus id feci, cognoscant. Non ingenii ostentatio est, quæ plerisq; ad scribendum causa. Scio enim quam illud sit vel nullum, vel certè perexiguum: non experientia: quam per ætatem nondum parare licuit: sed profectus studiorum meorum specimen est, quod vel ob id me ab ambitionis & temeritatis suspicione liberare potest, me hoc non publicæ famæ judicio, nimis confidenti spe exposuisse: sed Vobis exhibuisse, quibus de studiorum meorum ratione judicare jus fasque est. Et sanè aliter fieri nec debuit,*

nec potuit, sive materiam, sive meipsum, sive VV. DD. considerem. Dignissima hujus materiæ eminentia ex vero ejus statu effulgens, tanta est, ut quis stylo condecenti exæquare non valeat, nisi robustæ alicujus & receptæ auctoritatis pondus habeat. Atqui ea firma veteribus adest: non mihi annis infirmo. Proinde Vobis, Mœcenates, Patroni Inclyti, hanc Disquisitionem inscripsi, & frontem ejus splendore nominis Vestri illustravi, adeoq; lucem aliquam tenui huic & per se obscuræ scriptioni, ab illustrissimâ & amplissimâ luce Vestra, conciliare conatus sum. Et quidni? Nonne Te, Illustrissime Palatine, ortu & stirpe Excellentiss. Hungarorum, Patronum Hungaria sibi adscripsit? Nonne omnes Hungari C.am T.am plurimùm colunt, tanquam Vindicem libertatis, oppositumque Regibus, ut olim Tribunatus Romanis Coss. potestatis modum fecit? *Ego vero id ut faciam, quid inveniam? Corpori devincto, nunc disjuncta locorum intervalla obstant, quo priscorum Hunnorum in morem, instabili circumactione & sine fixâ sede de loco ad locum me moveo: absens igitur omnem honoris & submissionis cultum, fideliter offe-*

Ioan: Barclajus Ico. Animorũ cap. 8. de Palatino Hung.

offero & devoveo. Quem velle & debere me ut sciat C. T. chartaceum hoc & levidense munusculum, trado, do, consecro: ut adamantino (ut sic dicam) vinculo C. T. arctius obstrictus sim. Quanquam autem non sim nescius, merita C. T. grandius quid expostulare: majus tamen pignus, quod pro tempore offeram, non inveni. Rogo itaq; C. T. ut hoc clementer accipere & suscipere non dedignetur: quo in me quoque favoris C. T. libra devergat, etsi non merentem, certè cupientem. Deum invoco, ut benignissimè largiatur ea, quæ merita C. T. & vota mea exposcunt. De Nicolao de Gara Palatino, fama tenuit, cum pleriq; Procerum contra Mariam Regem conspirarent, illum dixisse: Regem legitimè coronatum, si etiam jumento compararetur, non esse deserendum. *Magni & candidi animi hæc vox!* quã Michaël Orszagh, Palatinus, non minus in corde quam ore versasse dicitur: Quemcumque Sacra Coronâ coronatum Videris, etiamsi bos fuerit adorato, & pro Sacro Sancto Rege ducito & observato. *Similis in T. C. est, quæ in T. C. præconiis potissimum eminet. Testatur hanc inter civilia arma*

M. Io: de Thvvrocz. part. 3. cap. 10. Chronic. Hung.

Ant. Bonfinius dec. 4. lib. 3.

ſancta fides, in quibus gurges calamitatum maximarum apparuit. Et hæ ſunt maximæ pace belloque laudes, conſtantiæ & fidelitatis clara ſigna. Adhuc tamen mihi intactum eſt, quod C. T. encomiis maximè accedit; ſumma illa Dignitas Equeſtris Aurei Velleris, ex quâ nunc diſco, C. T. Trigæ Regum Potentiſſimorum Europæ, mirificè gratum & acceptum eſſe: ideoque eò magis exemplum exoſculor, quò dignius in hoc ævo. Dum hæc ſcribo, tum plura quæ ſcribam, occurrunt. Sed deſino hujuſmodi ſermonum: quia Euripidem inſuſurrantem audio: Leve donum, ſapienti pro multis laboribus dicere laudes.

Ad Vos nunc Patronos Inclytos, mea ſe convertit oratio, ut cultum beneficiis Veſtris, Celebritati, ipſique Genio loci debitum expromam. Clara mihi ſigna beneficè exhibuiſtis eximii cujusdam affectus. Quo meo merito? fateor, nullo. quem eò magis beneficium interpretor, quod honeſtiſſimo munere tàm munes fuiſtis, in hactenus re & verbis immunem. Et ne ulterius ingratus ſim, dicam an improbus? chartaceum hoc antidoron capite: ſed

te: ſed partum profectò informem aut infirmum, donec politus & maturus ſequatur. Quod vel ſceleton, ob id interim haud aſpernabimini, quia à Veſtro Cive profectum eſt, cui cum nunc tempus deſit, ejus promptam voluntatem pro facto accipietis. Quod ſi nec hoc excuſabit, cognatio ipſa, quæ mihi cum pleriſque veſtrum intercedit, & arta eſt, hanc præſtare poteſt. Et ſi illa debito affectu & effectu deerit, cara cura chariſſimi Genitoris hac in parte non deerit, ad cujus paternum nutum vitam meam compono, me moveo & ſiſto, quocunque ipſe & ſupremus omnium Parens, me ducunt, & conſiliis ſalutaribus dirigunt. Sed quid dubito de benefica & humanâ naturâ Veſtrâ? Genio Veſtro addictum fovebitis, & favoris aurâ porrò adflare non intermittetis. Iam ipſe locus quis? Poſonium eſt, ad lævam præterlabentis Danubii fluminis ripam &c. ſitu appoſito, aëre puro ac ſalubri. Montes habet, quâ Soli patent, vineis amœniſſimis conſitos, cætera tectos ſylvis. Ad ripam, horti ſunt, prata, nemora, pomaria, ſegetes. *Wolffgango Lazio* Nunc prima Hungariæ Urbs: *Libera*

Petrus Bertius Rerũ Germ. lib. 3. de Poſonio.

Gent. Migrat. lib. 7.

Philip. Cluverius Introduct. Geograph. lib. 4. cap. 2.

Commēt. de S. Corona Regni Hung. pag. 83 f.

Ibidem. pag. 84. m.

Iustus Lipsius lib. 1. de Constant. cap. 10.

bera Regiaq́, quæ caput Regni post amissam Budam *hodiè est. Et cum Sacra Corona olim* extra conspectum consortiumque hominum (*ut Generos. Comes Petrus à Revva scribit*) in loco quieto, securo, & ipsâ naturâ, dato, munitissimo excelsissimoque monte, & tanquam Cœlesti domicilio VISSEGRADO reponebatur. *Quo amisso Posonienſis Arx Sacræ Coronæ propriè dicata est.* Quod quidem castrum (*ut iterum Generos. Comitis verbis utar*) VISSEGRAD domicilii Coronæ, si cum Posonio, ubi sacra Corona modò sedem figit, conferas, nihil ferè ad illius, & Sacræ Coronæ commoditatem, præter loci celebritatem afferri potest. *At ipse Genius loci, mihi adamata patria est, quæ me excepit, fovit, aluit:* cui arcano quodam naturæ vinculo propius obstringor. *Longius si irem, extra terminum irem & in vastum illud INFINITUM. Deus fecit, ut imposterum referam ad te, ô dulcissima patria! quæ consecutus sum à te, ac expositæ huic proli, tales amplius tutores inveniam: quales Patres Patriæ nunc advocavi, illisque proprium dicavi; ne hanc abjecisse verius videar dear quam peperisse. Qui Deus Opt. Max. Te, Illustrissime Palatine, ex illis tanquam magnum lumen Hungariæ & firmam columnam Regni, per quam nisi stet, ruit, diu lucere patiatur, incolumenq́ servet. Vobis idem precor qui ad tutelam Reipub. & clavum cum decore sedetis, ut Deus hanc mentem det & una robur. Ita vos & vestram urbem, è fluctibus quibus jactamini, & civilium bellorum flammis aliquando eripietis, quibus persæpè hactenus undique fuistis cincti. Argentorati X. Cal. Octob. CIↃ. IↃCXXIX.*

C. T. & VV. DD.

Addictissimus, Deditissimusq;
Cliens,

Martinus Schôdel.

Nobilissimo Viro,

DN. JOANNI SCHÖDELIO,

Consuli Reipub. Posonienſis amplissimo,

MATTHIAS BERNEGGERUS,

S. P. D.

Post moram, & promissis nostris, & expectatione vestra longiorem, denique viam ad Vos affectat MARTINI *Filii de Hungaria dissertatio: quam pridem accepturi fueratis, nisi partim nos operæ subinde destituissent: partim Autoris ipsius eximia diligentia, cui festinatio omnis inimica est, obstitisset. Nam dum ille non obvia modò perlustrat; sed & penitissima quæque patriæ suæ rimari studet; dum expendere testibusque firmare singula, enucleare omnia laborat; ita factum est, ut labori, quo defungi properabat, magis ac magis implicaretur. Et sane, quæ Plinii Secundi de quodam amico suo vox est:* eo peccare ipsum in scribendo, quia nihil peccaret: *idem de hoc scripto dixerim, id hanc præcipuè mereri notam, quòd nimia diligentia confectum. Unde, pro amicitiæ jure, sæpiùs Apellis istud inculcavi Nostro*: manum de tabula tolleret: *itemque Quintiliani illud:* Sit aliquando quod placeat, aut certè quod sufficiat: ut opus poliat lima, non exterat.

Quanquam hæc ipsa diligentia, utut alicui nimia, propeque minuta videri queat, index mihi certissima, quantum bonæ frugis ab hoc ingenio patria sibi polliceri debeat, si quando ad Rempub. tractandam, quò spes eum sua, votaque tua vocant, accesserit: ubi præsertim, & accrescente cum ætate profectu literarum, quas calidissimè tractare pergit, & quam cum bono Deo suscipere parat ulteriori peregrinatione, fuerit ad maturitatem perductum. Me quidem certè nunquam offendat, in hac ætate juvenili redundantius quoddam scriptionis quasi corpus; qui sciam, hoc ipsum adultiori mox ætate adstringi solere. Sit licet illud ultrà quàm oporteat fusum, nec satis siccum & severum: facile remedium est ubertatis. Multum inde decoquent anni, multum accedens cum annis prudentia limabit. At sterilia nullo labore vincuntur. Isthinc spes roboris: hinc parum duratura infirmitatis augurium: quomodo maciem in posterum minari solet protinus omnibus membris expressus infans. Vnde Cicero etiam, in juventute requirit efferentem sese fœcunditatem. Et Quintilianus adolescentium ingenium aridum non minùs damnat, quàm in teneris adhuc plantis siccum & sine humore ullo solum: ac ne maturitatem quidem ipsam vult festinare, nec musta in lacu statim austera esse. Sic enim & annos ferent, & vetustate proficient.

Nec minus hoc quoque magnopere placet, quod ad res patriæ potissimùm investigendas illustrandasque scriptionis operam conferre, Nostro visum est. Inter illa præconia, quæ Pericli Thucydides, eximio Reipub. Atticæ civi scriptor immortalis attribuit, hoc præcipuum est, quod φιλόπολις *ille, ac Reipub. amore fuerit insignis. Sed & Cicero confirmat*, ad consilium de Repub. dandum, caput esse, Nosse Rempub. *Qua causa peregrinis Reipub. gubernacula committi non facilè vel solent, vel debent: utpote quibus aut exigua rerum patriarum notitia: vel, si maximè illa superfit, vix affectus, ut in Rempub. alienam, aut fides est, illud Plauti cogitantibus,* mihi isthic nec seritur, nec metitur. *Hoc igitur præstantis ingenii specimine, ceu pignore, filius inclytæ Reipub. vestræ, patriæ suæ, cùm fidem, amorem obsequiumque spondere, credo, voluit: tum etiam confirmare necessariam ad quascunque Reipub. partes, olim sibi credendas, rerum patriarum notitiam, eò laudabiliorem, quanto nostrûm pauciores illud habere curæ videas,*

Ædibus in nostris quæ prava aut recta gerantur:

id quod faciendum Homerus præcipit: quin potius in aliena domo

terrave curiosi plerique, domestica patriaque ferè nescimus. Cujusmodi præposterè oculatis idem quod senibus accidit, qui propius admota, parum: remotiora, haud paulò cernunt acutius: aut quod Lamiæ contingere mythologi tradunt, quæ domi cæca dormit, oculis in quodam vasculo repositis: at foràs egressa, inserit oculos & videt: domi cæcutit; foris est oculatissima.

Porrò Dissertationem hancce suam, in Academiæ nostræ publica luce, amicorum examini censuræque subjecturus Noster, quod me moderatorem honorarium adsciscere sibi voluit, etsi quicquid hoc est oneris, (ingenuè fateor) ut humeris meis impar, excutere maluisset, quippe qui rerum Hungaricarum notitiâ habeo perexiguam, in aliis Historici Latifundii partibus hactenus occupatior: ita tamen hoc toto biennio & amplius eo, quo meam domum gratissimus hospes incoluit, & alloquii crebrioris suavitate, & morum innocentissimorũ amabilitate, & rarissimo in ejusmodi temporibus ardore discendi, cæterisque quas in eo sitas deprehendi dotibus animi, (fusiùs hoc loco prædicandis, nisi ad gratiam scribere possem videri) sibi devinxit, ut quicquam ei negare non sustineam, plusque apud me valere sentiam obeundi diffidentiâ, pudorem recusandi: cùm præsertim haudquaquam dubitem, Ipsum, uti Dissertationem illam suopte Marte, sine cujusquam operâ subsidiaria confecit, adeoque suo tantùm remigio, ut ille ait, rem gessit: ita quoque vel solum eandem facilè propugnaturum, me per speciem honoris potiùs, quàm quod meæ opis indigeat, asseffuro. In aliis tamen rebus, quas in potestate magis habeo, qualemcunque meam operam poscenti non defuturam, Tibi, qui filium unicè charum literis non unis mihi commendasti, quasi stipulatò polliceor. Vale, Vir Amplissime ac Nobilissime, & nisi grave est, excellentissimum D. SZELLETZKIUM JC. Syndicum & Senatorem Vestrum, ex me perofficiosè saluta. Scrib. Argentorati, d. 26. Septembris Juliani, anno CHRISTI 1629.

NO-

NOBILISSIMO, LITERARUM Peritissimo, Literatorum Amantissimo Dn. Respondenti.

HUNGARICAS laudasse potest vel quilibet oras,
PANNONIÆQVE ingens antetulisse decus.
Hinc tot scriptores, hinc totq; Volumina præstò;
Vt mundus numero non numerante crepet.
Pauci ex asse sibi fabricârunt nomine famam:
Pauci; qui norunt intima regna probè.
Non ego, sed pro me tua Dissertatio surgit:
O quantum quantæ sedulitatis opus!
Macte novo studio! sic olim Patria de te
Gaudebit; sic & nomen ad astra feres.
Quid? quod & inscriptum tam celsum sit caput, unde
Iure tibi posßus multiplicare bonum?
Namq; PALATINUS REGNI si viderit, ajet,
Hic erit in nostrâ pars generosa tribu.
Felix! ô nimium felix sub Principe tanto!
Divitis hic vires æstimat Ingenii.
Interea ARGYROPES ne tu sis immemor, oro,
Quæ tibi ter-fausta corde precatur aves.

M. Joh. Paul. Crusius Argentoratensis, Poëtices in Patriâ Academiâ Professor ordinarius.

VIdi ego; quem alterius vestis, tamen aurea laudat
Quemq; caput rasum & barba trisulca notat;
Qui (modo Virginibus, verbo fugiente Proborum
Auditûs, doctè se insinuasse cluat;
Quamvis furcillis ipsum terterna Virago,
Spurcitiæ exosum, pellat ab arce sua)
Se putat excessisse Deos, & despicit omnes,
Vilibus indutos, Nare sonante tumens.
Hic si Virgineum sanè perpendere vivos;
Hic si Virginibus nosset adesse novem:

Hic si resciret volucris Iunonia, quod vim
Neptuni potuit non prohibere, Deæ:
Virgine præ Musas coleret, barbamq; Sophorum
Et vestem indueret, sese hominem esse putans.
VIdi ego; quem metuunt Terraj membra, Lapilli,
Vt totos tumidus, calce minante, terat.
Non quod grande Sophos mantello turgeat, aut quod
Ceperit Astræa hunc liberiore sinu:
Non quod Mnemosynes Ipsum quoq; Pignora lactent,
Ipsiq; instillent mella meraca, merum:
Sed quod per longos usus signata cerebro
Pagina, Doctori dixerit: HIC CATUS EST!
Qui si commemoret, memorem præsepe suum, quod
Assuetu didicit, reppetiisse bovem:
Non sibi præpropero nisu Pharisaica fastu
Infræno turgens, scita placere velit:
Nec fungos sese mage doctos diceret unquam,
Tegminaq; aptaret, non sua, sæpe cuti.
VIdi ego; qui Cyathos depletos gaudeat, & qui
In chartæ lusu summa-minuta locet:
Qui si perpendant Sanum perdi, atq; salutem;
Hæcq; bene-iratos posse merere Deos
Præ Cyathis Bacchi oblectarent fonte Caballi
Sese præ chartâ, lusibus Aonius
TAlibus his tantis procul es, longè ILICET ipsis
Dixisti, Solidi nil sapere hosq; putas.
Tu melior, quem Pallas amat, Doctrina probavit
Hæredem dicunt quem Sajs atq; Themis.
Non nisi Virgineæ vis approperare catervæ,
Sceptra suprema cui Præses Apollo regit:
Nec, quod non plenum Doctrinæ dicitur, hoc tu
Appetis, ast exest fastus & Invidia:
Frangere nec Luces, nec Noctes frangere Vino,
Nec chartæ lusu perdere quæris opes:
Hocce negare negant solidissima Tradita, queis tu
Publicus in laudes velificas Patriæ.
Hinc discit reparare novas, Fama aurea, bigas,
Quas circum Musæ hinc, & volat inde Charis:
Queis Venus & Cygnos, non indignata, refrænat,
Vt celeres portent mundi ad utrumq; latus,

Sche-

Schedeli, quod non Lethæa ad flumina ferre
Corpore cum poterit, Thrabs tua, avare Charon.
Hinc niveas discit vestes renovare Patissus,
Hinc Nymphas pectis, fluctivage Ister eas.
Claras Posonium, Segedinum sumere vittas,
Cum Rabâ assuescunt, Papa, Palota, Dotis.
Schedeli & Tibi magna sonant, dicuntque Parentem,
Quod dones ipsis perpete Luce frui,
Scriptis, quæ caries renuit contingere, queisq;
Aut Blatta, aut Sors, aut Tempus obesse nequit.
Salvete ô præclara volumina, Mater Amorum,
Claro quæ fovit Terpsichoreq; sinu:
Quæ Ganymedæo sunt illita nectare, quæq;
Optima divino rore Iuventa rigat:
Vngaria ut lateat minus orbem, Vos facitis, nec
Amplius obscuris se abdat in attegiis.
Salvete ô Præclara volumina, tempora cerno,
Queis Vos hinc-properat-inde sonare Notus.
Dum sonat Populi plausum dant ore canoro,
Deq; novo vobis lumine rite canunt.
Tu salve quoq;, qui discis Nos, Nosq; sequentes,
Mussante Invidiâ, hoc clite beare bono.
Tale tuum factum, postrema ad bactra volantem;
Te referet cœlo, Te referetq; solo.

Iohannes Macrini.

NOn qui divitias Arabum, fulvique metalli
Congeriem benè magnam, ampliſſima prædia paſſim
Poſſidet, eſt magnus: nec qui de ſtemmate claro
Geſta patris, monumenta atavi, patruique trophæa
Iactat, & inſignes laudat virtute parentes;
Magnus at eſt, ſua quem virtus, quemque ars generoſa
Exornat, ſine quâ non eſt durabile quicquam.
Ergò tuum cœptum probo, virtus quem mihi amicum
Terraque communis fecit; dum dona diſerta
Ingenii prodis, patrio de jure ſat amplo.
Quid pravum rectumvè geratur in ædibus, ut nam
Eſt alienis, & proprias contemnere ineptum.
Te meritò peregrinorum Mavortia facta,
Atque ſimul multos quæ ſunt hinc inde per annos,
Mœnibus in patriis, fauſto conamine geſta,
Laude referre juvat. Tibi ſympatriota SCHEDELI
Hæc mens eſt, vetus atque recens quid in Hiſtoria usquam
Occurrit memorabile, privatum tibi in uſum
Congeſtum, niteat, ſcripta inter publica ferre

Pergi-

Pergito: sic Palmam referet gratantibus ulnis,
Cui nomen dederas, studiis tua culta Minerva.

Iohannes Stainer, Sopronio-Pannonius.

VIderat excultum hoc bellax Hungaria scriptum,
Et genium civis ingeniumque sui.
Miratur recolitque suos ab origine Patres,
Fortia queis vitam facta dedisse queunt.
Miratur ceptisque vovet pia Fata secundis,
Quò mage Pannonidum nobilitetur honos.
Miratur gratamque sui monumenta Promethei
Accipit, hoc tanto non inhonora viro.
At tu, qui tantus primæ sis flore juventæ,
Quantus, in hoc studio vir modò factus, eris?
Quas tibi pro tanto grates, MARTINE, rependet
Munere, quid faciet Patria grata Tibi?
Scilicet illa suos fortes imitata satores
Te propriæ laudis vindicem habere volet.
Sic veterem Patriæ repetendo ab origine famam
Gloria parta Tibi Pannoniæque nova est.

Georg-Witich. Silef.

EXcutio quoties Veterum monumenta laborum,
Miror: & antiquæ mentis acumen amo.
Non tamen, ut quidam, nostrorum scripta dierum
Despicio, sordent nec nova quæque mihi.
Debilitata, scio, nondum est, nec lassa quiescit
Natura, ut magnum nil parere illa queat.
Dî meliora aliis! nobis satis ista placebunt
Quod nostri fugiunt non sine fruge dies.
Barbaries nondum sterilis dominatur in Orbe,
Non & Apollineus usque fefellit ager.
Heu faveo seclo! quod non sterilescit inane,
Dî faveant lætus talia sæpe canam!
Si quis erit nostros celebrabit & excolet Vnnos
Qui, canet & nostri nomina magna soli.
Huic faustum lætus, gratanter & omne precabor,
Acceptus semper fiet & ille mihi.
Ast ô SCHEDELI! nobis Te gratior ullus
Haud fiet, nostram qui excolis Hungariam.
Gratum opus usque Tuum fiet vel gratius auro
Cui? mage privatis publica quisquis amat.
Quod superest, istam superi servent tibi mentem,
Et menti tribuant tempora longa, precor!
Vt possim quondam Doctorum in classe Virorum
Cernere SCHEDELIUM, nunc precor ista mihi!

Andreas Perlo Vitz, Batthensis Hungarus.

PRO-

PROOEMIUM.

DRæclarè Plinius incomparabili Principi, in incomparabili Panegyrico dixit: *Majores instituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi initium, à precationibus capere. quod nihil ritè nihilque providenter homines, sine deorum immortalium ope, consilio, honore, auspicarentur.* Plin. in Paneg pr. O verba ab impio ad impium nimis pia! Hoc verum initium: & Christiano qui sapit, labor & veneratio nulla alia, nisi per invocationem unius Dei auspicanda. Quem & ego meritò sequor, ac de REGNO UNGARIÆ acturus, priusquam ordiar, Deum veneror atq; invoco. Annue ô Rex Regum, ut vera, ut recta scribam, tibi in honorem, patriæ in splendorem, nobis in fructum!

Verissime esse ab Euripide Affirmatum:

——— *imperat necessitas*
Amare patriam cunctis. in Orest. Act. 2.

Reipsa experimur. *Nam quæ fuit unquam gens, quæ suæ patriæ affectu ac amore non rapiatur? Romani suarum rerum tam studiosi fuerunt, ut nemo majorem impensam ac operam illustrandæ patriæ contulerit. Nec Græci suas historias neglexerunt, multò minus Hebræi,* hodieque Germani. And. Althamer in Germ. Tacit. Et quid nos Ungari adeò in scriptis comprehensum habemus usque ad S. Stephanum I. Regem Christ. præter peregrinas historias, & ab hinc uno vel altero Vngaro, chronicon Hungarorum? Exinde, vera de Vngaris querimonia Geneross. ac Illust. Com. Petri de Revva: *Inde ego sæpe conqueri, & infælicitatem gentis nostræ accusare soleo, quod licet majores nostri, ingenio, viribus, ac armis excelluerint, pauci tamen reperti sunt, qui res patrias literis mandassent, contenti forsitan virtute, quæ laudata patrare novit, laudari negligit, nec prosperam suorum gestorum memoriam relinquunt posteris, ignari prorsus, contemtu famæ, contemni virtutes, suum cuique decus posteritas rependere solet, Heroasque honor Annalium æternus non brevis & plebeia prædicatio colit & consecrat.* Comment. de Corona Hung.

Apud Censorinum *M. Varro tria discrimina temporum esse tradit. Primum, ab hominum principio ad cataclysmum priorem: quod propter ignorantiam vocatur ἄδηλον. Secundum, à cataclysmo priore ad olympiadem primam; quod quia in eo multa fabulosa referuntur, μυθικὸν nominatur. tertium,*

tium, à prima Olympiade ad nos, quod dicitur ἱστορικὸν: quia res in eo gestæ veris historiis continentur. de die Nat. cap. 21. *Hoc adeò discrimen, in omni gente verum est. Hunnorum sive Hungarorum res, usque ad transitum Mæotidis, illachrymabiles ignotæque urgentur longa nocte, ut ille inquit. Quæ antè magnum Attilam, & sub ipso, fabulis veluti tenebris obscura sunt: & gentis ipsius, ut aliarum ferè omnium, initia ferè sunt τερατώδη.* Rerum Hung. scriptorum Compilator Epist. Dedic. ad Guilhelmum Ancelium Ammian. Marcell. *Hunnorum gentem monumentis veteribus leviter notam.* scribit lib. 31. cap. 2. Zosimus hist. lib. 4. *Natio quædam barbara transistranas gentes Scythicas est adorta; prius illa quidem incognita.* &c. De Hungaris Regino Prumiensis: *Gens Hungarorum retrò ante seculis inaudita, quia nec nominata à Scythicis regnis, & à paludibus, quas Tanais suam effusionem in immensum porrigit, egressa est.* lib. 2. chron. & Liuthprand. lib. 1. cap. 2. Nobis hac in parte contra aliquid experiri libet, ab horum sententia diversis, qui ignotam hanc gentem ante transitum Mæotidis putant, & primam hanc notitiam petemus, *ab Herodoto, D. Hieronymo, Ptolemæo, Plinio,* & aliis infra scriptis autoribus.

In ipsis verò Attilæ rebus, quanta locorum perturbatio? quanta ubique temporum negligentia? quicquid in ius lucis, debetur id scriptoribus alienis, qui calamitates quisque gentis suæ literis commendarunt. Aut. Rerũ Vng. d. l. & Thvvrocz præfat. in part 1. chronic. Hung. *Externarum nationum invidiam exactis per ipsum Attilam regem victoriis, condignum præconij subtraxisse stylum, & eidem regi Attilæ gloriam Imperialis nominis dempsisse puto: neque per ipsum gestarum rerum in decus, quippiam præterquam illatas per ipsum eis miserias, planctuosi carminis ad instar, scripsisse inveniuntur.* Optimè judicat de Attilæ temporibus concivis meus ex Comitatu Posonienſi Albertus Molnar. *Cui si Homerus aliquis aut scriptor idoneus contigisset, rerum ab eo gestarum laudes exuperarent etiam decantatissimorum regum encomia & epinicia. Quæcunque enim vel in infestorum ejus hostium monumentis, de eo leguntur, bellicam prudentiam, ac planè heroicam magnanimitatem indicant omnia.* Epist. dedicat. in Lexico Latino-Græco Vngarico, excusum Heidelbergæ anno 1621. Uterque Attilæ obtigit ex sententia Molnari. Nam exactè Historiam Attilæ descripsisse *Priscum Rhetorem*, discimus ex Evagrij Historia Ecclesiastica, ubi de Theodosio II. & Valent. III. scribit *Temporibus iisdem bellum, quod multorum sermone celebratur, ab Attila Scytharum rege excitatum fuit: de quo accuratissimè dissertissimèque cum magno verborum apparatu scribit Priscus Rhetor, ostenditque & quomodo partes tum orientem tum occidentem versus invaserit, & quas ac quam multas urbes subegerit, & quibus denique rebus gestis nobilitatus, ex hac luce migraverit.* lib. 1. cap. 17. Priscus iste autem

autem, temporibus Theodosii junioris, à Maximino legato, comes legationis assumptus est, ad Attilam. Excerpta ex Prisci Hist. Gothica. pag. 84. *Hanc sibi legationem, delatam ubi Maximinus, precibus victus suscepit, mihi persuasit ut illi comes essem* Et Martiano Imperante, in Consiliarium ascitus est. Excerp. ex Prisci Historia pag. 67. *sub Martiano Imperatore in Reipub. administratione floruit, multosque præclaros viros, Imperatori consiliis adhibuit.* (Euphemius) *Hic quoque Priscum scriptorem historiæ, in partem curarum Imperii vocavit.* verum hujus scriptoris Historia, integra aut periit, aut latet suppressa in Archivis & eruditorum Bibliothecis Citatur quater à Jornande de Reb. Get. cap. 34. c. 42. c. 49. & 24. ad quod Gruterus in notis, *cujus etiam paucula habemus fragmẽta legationum, in quibus interim largiter meminit Hunnorum istorum.* Excerpta illa ex hist. de Hunnis & Gothis edita sunt à Carolo Cantoclaro Parisiis anno 1609. qui è Græcis Latina fecit, & aliquot notis illustravit; in quibus in capite de libri titulo ait: *Inscriptio hujus operis in exemplari Græco est ἐκλογαὶ περὶ πρεσβέων quæ excerpta de legationibus, vertimus.* Nec enim ipse hæc ex originali excerpserat, sed Constantinus Porphyrogeneta colligere fecerat: quod indicat Præfatio Excerpt. Præter jam dictum Priscum, *Cajus Sollius Apollinaris Sidonius, Arvernorum Episcopus*, Hist. Attilæ & Aurelianensis obsidionem cœperat texere, sed operis magnitudine territus à cœptis destitit, quemadmodum ipse scribit Epist. 15. lib. 8.

Sidonius Domino Papæ Prospero.

Dum laudibus summis sanctum Anianum maximum consummatissimumq; Pontificem, Lupo parem, Germanoq; non imparem, vis celebrari: fideliumque desideras pectoribus infigi viri talis ac tanti mores, merita, virtutes: cui etiam illud non absq; justitia gloriæ datur, quod te successore decessit: exegeras mihi ut promitterem tibi Attilæ bellum stylo me posteris intimaturum, quo videlicet Aurelianensis urbis obsidio, oppugnatio, irruptio, nec direptio: & illa vulgata exauditi cælitus sacerdotis vaticinatio, continebatur. Cœperam scribere, sed operis arrepti fasce perspecto, tæduit inchoasse. Propter hoc nullis auribus credidi, quod primum mecensore damnaveram. Dabitur ut prospero precatui tuo, & meritis antistitis summi, quatenus præconio suo sub quacunq; & quidem celeri occasione famulemur. Cæterum tu creditor justus, laudabiliter hoc imprudentiæ temerarii debitoris indulseris, ut quod mihi insolubile videtur, tibi quoque videatur inreposcibile. Memor nostri esse dignare, domine Papa. Faciunt tamen huic parti *Ammiani Marcellini lib. 31. Sidonii carm. 2. in Panegyrico quem Anthemio Cæsari dicavit, Claudiani lib. 1. in Rufinum, Sozomenus, & Evagrii Histor. Eccles. Suidæ Historica*, &

Jornandis Getica, qui instar omnium esse potest, in describendis Regibus Hunnorum & Attilæ bellis & interitu, de *origine* autem Hunnorum non sine affectuum nube scripsit. Huc traho & includo Annales Germanorum, (si hi extant adhuc) quorum meminit Aventinus lib. 2 annal. Bojorum. *Reperi*, inquit, *Reginoburgii in Bibliotheca Divi Haimerani de rebus ab Attila gestis, opus heroicoversu, & Latina lingua non ineleganter factum. Vnde ipsa haec de Hunnis, & Attila carmina excepi.*

Fœdera supplicibus donat, sternitque rebelles,
Vltra millenos fertur dominarier annos.

Wolfgangus Lazius de Migrat. Gentium. lib. 9. pag. 643. edit. Ima Basilien. *liber Annalium antiquorum à nobis repertus, ubi eadem historia legitur in vulgari idiomate nostro in haec verba* Da der König Etzel &c. & lib. 10 pag. 680 confirmatur à codice pervetusto Annalium, qui bellum Teodorici Bernensis cum Hunnis describit: ejusdem meminit, eadem pagina in f. & 682. f. 683. pr. & med. 707. f. lib. 11. pag 757. m. quorum verba suo loco infra in materiam inferam.

Ab ipso etiam Attila, ad Geysam ducem, narratio aut nulla aut dubia est. compilat. Rerum. Vng. script. d. l. *Narratio à nostratibus usque ad S. Stephanum nulla extat* scripta. Etenim ab illis, ita agi solitum erat, quemadmodum apud Lacedæmonios, ut ea quæ pro *legibus* & *vita memoria* Cicer. 2. de Orat. cap. 9. id est, Historiâ, observarent, memoriæ mandarent. *Quia magnanimi illi populi, quales olim Lacedæmonii & Romani fuerunt, hodieque sunt* Ungari, *Hispani & Turcæ, pauca loquuntur, vires autem habent in promptu, & è contra facilè vident, quid possint aut non possint, & plerunque neque ornatè dicere, neque scribere, eorum fuit qui promptè operari & vel maxima quæque perficere potuerunt.* Philipp Honor. Thesaur. Polit. discurs. de bello Vngariæ anno 1595. Ita factum est, *ea fortitudine roboreq; naturæ, ut plerumque in armis vitam degerent. Nullis quæstuariis aut vulgaribus artibus dediti, sola militia nobilitatem definierunt. Quo factum est, ut ad leges ipsas vel exactiori cura sanciendas, vel maturiori examine promulgandas, nec ocium nec tempus satis idoneum superfuerit.* Magister Stephanus de Werbevvcz compilator *Juris* nostri *Tripartiti* in præfat. Proindè *Ungarorum Ius* sine scripto remansit, quod usus diuturnorum morum, consensu utentium cõprobavit usque ad Uladislaum II. Regem. Quocirca ipse scribit in *Approbatione Constitutionum: licet & antea non defuerint quædam Jura Regni, quæ quia nulla scriptura continebantur, consuetudines potiùs appellari poterant. Res Gestas celebrabant carminibus antiquis, quod unũ apud illos memoriæ & annalium genus erat.* (Tacit. de Morib. Germ. c. 2.) Siquidem natura vulgi heroicas laudes in castrorum triviis & atriis populus captare satagit quam libris. *Vti apud Barbaros ferè omnes, & rudes litterarum. Nec Hispani aliter comperêre, apud novos Indos.* Lips. not. 6. in Tacit Germ. Jornandes de Gothis: *in priscis eorum carminibus penè historico ritu in comune recolitur.* de Rebus Get. cap. 4. De Hunnis Priscus Rhetor in Convivio Attilæ. *Advenientе vespere, sublatis epulis, duo viri Scythæ coram Attila prodierunt, & versus à se factos, quibus ejus victorias, & belicas virtutes canebant, recitarunt. In quos convivæ oculos, vultusq; defixerunt. Et alii quidem versibus delectabantur, alios bellorum recordatio animos exsuscitabat, alius manabant lachrymæ, quorum ætas affecta, reddiderat corpus effætum, & imbecillum, ex quo eorum pugnandi ardor, & cupiditas, quiescere cogebatur.* Excerpt. ex Gothica hist. pag. 128. Quin imò etiam ejusdem cantilenis Attila ex expeditione aliqua insigni in Scythiam rediens à puellis exceptus est, quę veluti Syrenes illi obviam prodierunt; nisi quod illæ perniciem afferebant, hæ verò incolumitatem precabantur. Excerpt. Prisci, d. l. pag. 107. *In hunc vicum adventanti Attilæ, puellæ obviam prodierunt, quæ per series antè gradientes, sub linteis tenuibus & candidis, quam maximè in longitudinem extensis, ita ut sub unoquoque linteo, manibus mulierum ab utraque parte in altum sublato (erant enim multi hujusmodi mulierum, sub illis linteis ordines) sex puellæ, aut etiam plures, dum iter pergerent, odas, & cantilenas Scythicas canerent.* De septem Capitaneis Vngarorum qui amputatis auribus à duce Saxoniæ ad suos in Pannoniam missi sunt. Thvvrocz. part. 2. cap. 9. *Præterea cum sit quodammodo propriũm mundanorum, arrogantiæ plausum plus de se assumere quam ex alienis componere: ideo isti capitanei septem de seipsis cantilenas fecerunt inter se decantari ob plausum secularem & divulgationem sui nominis: ut quasi eorum posteritas his auditis, inter vicinos & amicos jactare arrogantia se valerent.* Qui mos adhuc durat apud Vngaros, canunturque adhuc fortium res gestæ resonanti lyra aut flebili chely, quam patria lingua *Kobza* vocant; neque unquam aliud pulsant aut ad amatoria intendunt. Idem autor part. 3. cap. 7. *Stephanus Konth denominatus dominorum de Hedervvara alto sanguine ortus: quem nostrum ævum viribus & virtute non minus præclarum nedum loquitur verum & resonanti lyra canit.* Galeotus Martius de Matthia Rege I. *Semper enim in ejus convivio disputatur, aut sermo de re honesta aut jucunda habetur, aut carmen cantatur. Sunt enim ibi musici & citharœdi, qui fortium gesta in lingua patria ad mensam in lyra decantant.* De dict & Fact. Matth. Regis cap. 17. & cap. 31. *Semper enim in ejus domo aut oratur, aut studetur, aut carmen cantatur ad lyram.* Consimile de Turcis Augerius Busbequius

epist. 3. prodit *occurrebat* (inquit) *modò horridus aliquis, à finibus Hungaricis cum suis gregalibus, miles, qui flebili in chelyde mœstum quiddam tristis ipse ululabat verius quam cantabat. Ea erant suprema verba commilitonis in herbido prato ad danubij ripam è vulneribus morientis: quibus danubium* &c. At propriè de Germanis scribit Tacit. de Morib. Germ. cap. 2. & lib. 2. annal. in fine.

Peregrinorum *Historica Narratio* post mortem Attilæ ad Geysam ducem dubia non est. Faciunt huc propriè scriptores tam *Græci*, quam *Latini* & *Germanici*. A *Græcorum* parte sunt, *Zosimus, Procopius, Agathias, Nicephorus Callisthes*. Excerpta *Menandri Protectoris, Theophylacti Simocat, Ioannes Zonaras* tom. 3. E classe *Latinorum & Germanorum: Paulus Warenfrid Diaconus, Historia Miscella, Landulphus Sagax* & alii in illa Miscella contenti. *Eginhardus, Liuthprandus Ticinensis, Regino Abbas Prumiensis, Sigebertus Gemblacensis.*

Vt verò radiis salutiferæ doctrinæ illustratæ sunt Hungarorum mentes, simul cesserunt illæ tenebræ, & rebus lux reddita. Autor Rerum. Vng. script. d. l. Namque hodiernæ *Reip. prospera vel adversa, claris scriptoribus memorata sunt* (Tacit. 1. Annal. cap. 1.) vel *expressè* & in peculiari Historia aut chronico de Vngaris: vel *nominatim*, & in Universali aliqua Historia & obiter alii multi in diversis scriptionibus. *Expressè* scripserunt de Rebus Ungaricis Indigenæ; & per quam pauci, quorũ scripta & nomen hîc expressum: & *Exotici*, & quam plurimi; quorum catalogum mox subjungam. Temporibus S. Stephani, cœperunt *Decreta Constitutiones & Articuli* Regni Ungariæ; qui usque in præsens tempus aucti à subsequentibus Regibus excrescunt in volumen. Regnante Colomano, prodiit *Legenda* de *S. Stephano Rege & Patrono Regni Hungariæ*. extat in libro in quarto, cui titulus *Legende Scriptorum regni Hungariè in Lombardica historia non contente*. continet legendam de *Sancto Ladislao, Rege* de *Sancto Gerardo*, de *Sancto Demetrio*, de *Sancto Emerico* filio S. Steph. *de Sancta Elisabeth Regina vel vidua hujus regni*, peregrinorum legendas quas liber dictus habet huc non transcribo, nec enim ad institutum faciunt. Legendam S. Stephani citat Thurocz. part. 2. cap. 27. de Generat. S. Steph. transcripsit etiam quædam ex Legenda S. Gerhardi parte d. cap. 40. Porrò ex libro illo Legendarum, vitam S. Stephani & Emerici filii ejus, conscripsit Fr. Laurent. Surius stilo mutato, ut ipse de se prædicat, & per collationem videre est. Edita autem est primò, Coloniæ tomo, nunc apud Rerum Ung. script. invenitur. Quid sub Andrea Hierosolymitano in lucem prodiit, M. Jo. Kitonich indicat. Process. Judiciario part. 1. quæst. 9. ubi sic scribit: *apparet ex antiquo quodam libro, intitulato, Ritus explorandæ veritatis, in dirimendis Controversiis; in Sacrario summi Templi Varadinensis reperto, & recuso Colosuarini anno 1559. Iam autem præ manibus Generosorum DD. Francisci Loranth de Inke, & alterius Francisci Nagy-Mihaly de Petrôcz, Sacræ Cæsareæ & Regiæ, Majestatis, Inclytæ Cameræ Hungaricæ Consiliariorum habito. Ex quo, qui volet, diversa barbara nomina Hungarorum, plus quàm satis cognoscere poterit, certis Iudiciarius exemplis, ab anno 1214. usq; ad annum 1235 quod facit unũ & Viginti annos, circa ætatem potissimum Andreæ, secundi Regis, comprehensa. Destructionem Regni Hungariæ* per Tartaros factam, descripsit *M. Rogerius*, Epistolâ in capita divisa, seu ut ipse vocat *miserabile carmen*, annexum hist. Thuroczii. *Temporibus quondam Divorum Karoli & Ludovici Hungariæ Regum, ut dici præsumitur, edita reperiuntur: duo Volumina Chronici operis quorum alterum super lib. Gen. 10. alterum super 11. capitulis, suas fundaverunt origines.* Thurocz. soliloq. in part. 1. Chronic. Horum traditiones passim in suam historiam immiscet, & speciatim *Magistri Iohannis de Kikullew*, in Ecclesia Transylvana, Vicarii Strigonienſis in Spiritualibus Generalis, quondam Ludovici I. secretorum Notarii, *Chronic. Ludovici Regis. Magistri* autè *Ioh. de Thurocz. Chronic. Hung.* Augustæ Vindel. prodiit Anno 1488. impensis Theodori Feger concivis Budensis, nunc apud rerum Hung. scriptores invenitur. De hoc autor ita scribit in præfat. *Rebus in his ex me fecerim nihil, Veteres in omnibus secutus sum historias; & sententias auctorum transgressus sum in nullo. Partes quidem Scythiæ, & illarum situm; Attilæ quoq; Regis gesta, pluribus Chronicis operibus ea propter indagatis, stylo paulò ampliori, quàm priores Hung. historiarum effeceram auctores, illorum undique positiones intermiscendo &c.* Et in hist. de Carolo Parvo scribit. *Hujus Regis Caroli lugubre exitium quidam Laurentius de Monach Venetus homo haud indoctus; ipsâ gestarum rerum ætate compendioso pariter & metrico carmine perstrinxit. Quem in magnâ sui parte secutus, maximè ne ex me aliquid facere videar.* Sambucus autor est de Iano Pannonio. ANNALES *patriæ heroicis ipsum versibus uno in volumine colligasse, multi norunt: quibus conficiendis quantum ipse se superârit, facilè ex admiranda Marcellinæ Panegyri (quam una cum aliis, doctissimus, & felix Poëta, Hilarius, Cancuncula Venetiis edi curarat) quisq; secum cogitabit.* Et subdit; *Vtinam quidem Annales ejus aliquando Viennæ conspecti & lecti prodeant carceresq; perfringant: non secus, me Deus! atq; Ciceronis, aut Livii quæ periere mecum excipienda ducerem, tantum quisq; huic Vati jure tribuendum censeat. Quod si Vul-*

si Vulcano vel Istro sunt tradita, vel, ut quidam non dissimulârunt, excrementis humanis loco abdito, foraminibusq; putruêre, Manes invidorum luant pœnas: quod φθόνῳ ἔξω τῆς θείας δρόσου ἴσα ταῦ, ut est in Phædro. Hæc Sambucus de Pannonio, cujus Carmina tantū Miscellanea & non historica, à fugientibus editionibus, ad incudem revocavit, & in manuale redegit Joh. Philippus Pareus, sub inscriptione *Deliciæ Poëtarum Hungaricorum* impress. Franckfurti Anno 1619. Præterea Wladislaus II. Rex Hung. in Conventu Ordinum Budæ celebrato, *Ius Consuetudinarium Regni Hung. à Magistro Stephano de Werbevvetz.* Nob. Hung. & Judicis Curiæ Protonotario compilatum, & vulgò *Tripartitum opus Iuris Consuetudinarii* appellatum, anno Dn. 1513. confirmavit, & Regio nomine publicavit, *partim sponte*, (ut ipse loquitur) *nostrâ propria, partim precibus & supplicatione fidelium nostrorum dominorum Prælatorum & Baronum, cæterorumq; Procerum, & Nobb. edidimus, saluti ac quieti, liberatiq; ipsius Regni nostri, hoc pacto acuratissimè consulentes.* In approbatio. constitutionum. *Ludovicus Tubero.* Dalmata Abbas libros XI. Commentariorum, de Rebus quæ temporibus suis in illâ Europæ parte, quam Pannonii & Turcæ, eorumq; finitimi incolunt, gestæ sunt, scripsit. *Libros sanè Vngarico idiomate scriptos habemus admodum paucos, neq; incidi unquam in Vngaricum Codicem manuscriptum. Vnde factum ut de antiquitate nostræ gentis & linguæ paucula tantum indagare potuerim, præter Vulgaria illa, quæ apud Latinos & Germanicos Historicos & quæ apud Bonfinium leguntur. Omnium autem librorum quos adhuc conquirere potui, vetustissimus est, Chronicon mundi, Hungaricè scriptum, à Stephano Szekely, editum Cracoviæ in Polonia anno 1558.* Albertus Molnar Epist. ded. Grammaticæ Hung. *Clademin campo Mohaz*, in quâ Ludovicus II. Rex Hung. & Bohemiæ, occidit anno 1526. descripsit *Stephanus Prodericus Procancellarius. Historia Sygethi* capti anno 1566. ex Croatico conversa *per Magistrum Samuelem Budinam. Genealogiam, seu de antiquissimâ Scaligiorum*, sive à Scala olim complurium regnorum, & multarum nationum felicissimorum Principum origine ab anno salutis 80. usq; ad annum 1561. Vnde ortum tradunt Matthiam Corvinum. scripsit *Paulus Schalichius* de Lika, S. Regum Hung. commilito perpetuus, ac totius terræ ex utraque parte Hun. necnon Sckrad atque Veronæ &c. S. Th Doctor. Scripsisse etiam *Illustrem Franciscum Forgacz* Lib. B. in Gymes & Cancellarium olim D. Ferdinandi Imp. per Hung. *sui temporis Hist. Commentaria*: Syndromus Rerum Turcico Pannonicarum Nicolai Reusneri, refert; sed de illis nihil vidi, exceptâ Sygethi descriptione & obsidione apud prædictum Reusn. *Ioh. Sommerus Hung. Reges Hung.* Carmine descripsit, usque ad an. 1567. Item *clades Moldavicas*, quas edidit Pareus sup. d. l. *Chronologiam Pannoniæ Ioh. Herold. & Abraham Paksay* scripserunt. De *Attila Nicolaus Olahus* Metropolita Strigoniensis. *Felix Petantius* Cancell. de *itineribus aggrediendi Turcam. Ioh. Sambuci* scripta omnibus sunt notissima. *Rerum in Transylvania* à Sigism. Bathorio Principe an. 1595. *gestarum narratio, per Ioh. Iacobinum Claudiopolitanum. Chorographia Transylvaniæ & Moldaviæ* autore *Georgio à Reucherstorff Analecta lapidum Vetustorum* & nonnullarum in Daciâ antiquitatum autore *Stephano Zamosio.* De *admirandis Hung. aquis, Georgius Wernherus Regis Matthiæ II. Coronatio* cum brevi Regum Pannoniæ Chronographiâ, descripta ab Hungaro quodam. *Agloſſa Geneſio* ann. 1609. quæ editio ex Latino in Germ. sermonem translata est, à M. Wolfard Spangenberg, Argentorati, anno eodem. *De sacrâ Coronâ Regni Hung.* brevis Comment. *Petri de Revva* Com. Comitatus de Thurocz, August. Vindelic excusus à Christophoro Magno ann. 1613. *Coronæ Hung. Emblematica descriptio* autore *Christophoro Lacknero* J. U. D. ann. 1613. *Processus Iudiciarius* Juris Consuetudinarii inclyti Regni Hung. per *Magistrum Ioh. Kithonich, de Kosthanicza* Tyrnaviæ anno 1619. *Grammatica Hung.* autore *Alberto Molnar* Hanovviæ ann. 1610. Ejusdem *Lexicon Latino-Græco-Hung.* Heidelbergæ, anno 1621. *Nicolai Istuanfi* Pannonii *historiarum de rebus Hung.* lib. 34. Coloniæ Agrippinæ ann. 1622.

Exotici qui specialiter de Vngaria scripserunt sunt isti: *Regis Hungariæ Matthiæ I. nuptiæ & coronatio Reginæ, à Palatini Comitis Legato* diligenter descripta: Idem *Ingressus Regis & Reginæ in Budam.* ann. 1476. Hanc historicam narrationem edidit Lipsius de quo Petrus à Revva Comes, in Comment. S. Coron Hung. pag 94 *Recordor, me in historia quadam Vngariæ, cum præfatione Iusti Lipsij edita, legisse &c. Galeotus Martius, de Egregiè, Sapienter, Iocosè dictis ac factis Matthiæ Sereniss. Hungariæ Regis,* ad inclytum ducem Iohannem ejus filium. Hoc editum est Viennæ, anno 1563. *Epitome Rerum Vngaricarum* per Indices descripta, autore *Petro Ranſano* apud Matthiam Regē olim triennium legato. editum post autorem à Luca Peechi Pannonio Ternaviæ ann. 1579. in 8. *Michael Ritius* de *Regibus Vngariæ* lib. 2. impressus est Basileæ, ann. 1517. in 4. *Completa historia*, hos superat *Antonius Bonfinius Asculanus. Philippus Callimachus*, de *rebus gestis à Vladislao Polonorum atque Hungarorum Rege* lib. 3. de Attila lib. 1. *Belli Pannonici* per Illustriss. Principem Fridericum Comit. Palatinum, cōtra Solymannum Turcarum tyrannum gesti lib. 2. autore *Melchiore Soitero* à vida J. C. *Ioh. Martini Stellæ*

de *Turcarum in Regno Hungariæ successibus*, anno 1554. epist. 4. edito Antverp. & à Schardio, in illo opere historico. *Rei contra Turcas gestæ* anno 1556. brevis descript. *Wolffgango Lazio auctore. Bellum Pannonicum* sub Maxim. II. Rom. & Solym. Turc. Impp. gestum: descriptum per *Petrum Bizarrum*. editum Basileæ anno 1573. Regum Hungariæ ex optimis auctoribus explicata *Genealogia Ioh. Pistorii* Nidani V. cl. *Descript. & Munitiones Altenburgi*, arcis dotalis sereniſſimæ Hungariæ Reginæ Mariæ &c. auctore *Ioh. Martino Stella*. Potiſſimam partem horum autorum, Rerum Vng. script. exhibent; in quibus etiam *appendix* ad res Hungaricas, in quâ *inscriptiones Transylvanicæ veteres nonnullæ & annales* exscripti de Templis Leutschovienſi & Coronenſi. Sunt & plurimi autores aliorum Operum *Hist.* inserti, ut in *chronicorum Turcicorum Philippi Loniceri. Hist. Calimachi & Sonteri* & in *Cuspin. op. de Turcorum Institut. Felicis Petancij de Itinerib. aggrediendi Turc.* Ejusdem *Oratio Protreptica ad Sac. Rom. Imp. Principes & proceres, ut bellum suscipiant contra Turcum. cum descript. conflict. in Hung facti, quo periit Rex Hung. Ludovicus & qua via Turcus Solymanus ad Budam usque pervenerit ex Alba Græca: cum enumeratione clara dotium, quibus à natura dotata est Hungaria* &c. ibidem. In script. *Rerum Germ. Marquardi Freheri, Matthiæ Corvini Hungariæ & Bohem. Regis Oratorum ad Principes Imp pro auxilio contra Turcos ferendo, imploratio. Prognosticon M. Antonii Torquati & Med Doct. Ferrarienſ. clariſs. Astrolog. de Everſione Europæ, ad Matthiam I. & Iohannis Cuſpiniani, Præfecti urbis Viennenſ. Diarium de Congreſſu Cæſar Maximil. Aug. & Trium Regum. Vladislai Hungariæ, Ludovici Bohemiæ, & Sigismundi Poloniæ. in urbe Viennenſ.* facto 17. Julii, anno 1515. *Rerum memorabilium* in Pannonia sub Turcarum Impp. à capta Constantinopoli usque ad annũ 1600. gestarum narrationes variorum autorum, recenſente *Nicolao Reuſnero*. Francof. anno 1603. in 4. Nunc recenter editæ hac inscript. *Syndromus Rerum Turcico-Pannonicarum.* adjunctis in altera parte lib. II. *Lud. Tuberonis Comment.* Quos Bonfinius continet, hic transcripti non sunt, & ibi legi possunt. Separatim excussi sunt isti: Deß Königreichs Hungern samt seinen eingeleibten Landen gründliche/vnd warhafftige Chorographica Beschreibung. *Wolffgangi Lazii* gedruckt zu Wien Anno 1556. Aucta latine *Chorographia Pannoniæ* ab eodem autore & recusa Viennæ apud Ægidium Aquilam. Ejusdem *Regni Archilogiæ liber primus.* quam editionem latinam mihi videre nõ contigit, ut & sequentium. Facit mentionem Decadum, in d. Chorog. Beschreib. deß Kön. Vng. circa finem libelli: von welchen vnnd andern mehr wir in vnsern *decadibus* in Latein gestelt. Vnd E. H. D. dedicirt, vnnd mit der zeit zu evulgiren willens sind/ gnugsam außführung

rung thun/vnd in diesen allen zugen &c. Stephanus Zamosius: *Dum hæc schediasmata typis transcribenda curo, audio Wolffgangum Lazium & Stephanum Turinum viros doctiſsimos, de lapidibus dacicis jampridem aliquid in Austria emiſisse.* Epist. Dedic. Analect. Lapid. vetust. in dacia. & *Paulam Manutium* descripsisse *Transylvaniam*, Notæ Polit. *cl. Dn. Forstneri* in lib. 4. annal. Tacit. indicium faciunt. *Vngariæ descriptio* nova, proposita duabus, ut vocant, Mappis, cum annotatione variarum historiarum &c. Francof. 1595. in fol. patenti. *Levini Hulsii chronologia rerum memorabilium* in Hungaria Transylvania &c. gestarum usque ad annum 1597. Noribergæ eodem anno. *Georgii Pontani* à Breitenberg. dialogus *de statu Hungarico.* Francof. 1596. in 4. *Christiani Scheſei Ruinæ Pannonicæ* lib. 4. cum hist. de *bello Pannonico* Solymanni Imp. Turcarum, ultimam Julæ & Sigethi expugnationem continent. Witteb. an. 1573. in 4. Per *carmina chronologica* histor. Pannoniæ ad Rudolph. II. Francof. anno 1596. in 4. cum fig. Gründlicher vnd Christlicher vnterricht/für alle Stände/wie mans in jetzt schwebenden Vngarischen Krieg anstellen soll/daß es einmal glücklich vnd wol gerathe. Neben angehengter Instruction/so Keyser Maximiliano von seinen getrewen Kriegsräthen einmals in der Jugend ist geben worden. Leipzig. 1595. in 4. Caspari Lorichiani Vngarische Chronologia/was sich in dem Königreich Hungarn/auch angrentzenden Orten in Kriegssachen vnd sonsten von jetzo Keys. May. Rudolphi II. angefangener Regierung biß auff dieses 1605. Jahr begeben hat. Cölln 1605. in 4. Warhafftige vnnd kurtze erzehlung der fürnembsten Scharmützel vnnd Schlachten in Crabaten vnnd Hungarn/zwischen dem Türcken vnnd Röm. Keys. May. Rudolpho II. Vrsel 1594. in 4. Historia von den Empörungen/so sich in Vngarn/auch in Siebenbürgen/Moldaw/Walachey/vnd andern Orten zugetragen/von Jahr vnd Tag seithero deß Jahrs der mindern zahl 1516. biß auff das gegenwertige 1596. Cölln 1596. in fol. Vngarische Krieg so sich zwischen dem Röm. Keyser Maximilian dem II. vnnd den Türckischen Keyser Solymann anno 1565. vnd 1566. verlauffen hat. Basel. *Alphonsi Ulloa* Beschreibung deß letzten Vngarischen Zugs oder Kriegs/so im Jahr 1565. vnd 1566. Keyser Maximilian II. wider den Soltan Solyman Türckischen Keyser geführet/Basel 1565. in 4. vergleichung mit den Hungerischen Ständen/geschehen zu Wien in Oesterreich den 22. Junij anno 1606. auß Lateinischer Sprach ins Teutsch gebracht anno sequenti in 4. Atque his caret mea disquisitio, exceptis sequentibus. *Hieronymi Ortelii chronologia* oder Historische Beschreibung aller Kriegsempörung vnnd Belägerungen der

Stätt vnd Vestung auch Scharmützeln/vnd Schlachten so in Ober vnd vnder Vngern auch Siebenbürgen mit den Türcken von anno 1395. biß auff gegenwertige zeit/Nürenberg in 4. 1620. Wilhelm Peter Zimmermans Iconographia deren Vngarischen Stätt/Vestung and Castellen/so von anno 1603. biß auff den Früling deß 1607. beydes von dem Christlichen vnd Türckischen Volck ersucht/erobert oder verlohren worden / sampt derocigentlichen Abriß vnnd Fürbildung. Augspurg 1607. in fol. Wilhelm Schäfer/genannt Dilich Vngarische Chronica. Cassel anno 1606. Vngarische vnd Siebenbürgischer Kriegshändel außführliche Beschreibung &c. Franckfurt am Mayn 1596. *M. Goth. Arthusij* historici *chronologia Pannoniæ*, res per Hungariam & Transylvaniam jam inde,à constitutione regnorum illorum,usque ad hæc tempora gestas complectens, additis iconibus Regum, ducum & procerum,tam Christianorum quam Turcorum. Addita est tabula chorographica totius Hungariæ nova. Francofurt, in 4. Germanica editione usus sum impress. à vidua & filiis de Bry. Franc.anno 1607. *D. Tob Coberi observat. Castrensium Vngaricarum* & Francof. 1606. huic addo *D. Martini Rulandi* de *Pernicioſæ Luis Vngaricæ Tecmarsi & curatione* Francof. 1600. *Gaspar Ens, L. rerum Hungaricarum historia*,novem libris comprehensa. Coloniæ 1604. Ejusdem appendix ad rerum Hung.hist.Coloniæ anno 1608. Eruditis.*orat. pro & contra Hung.* scripsit non ita pridem *Thomas Lansius* Consultat. de Principat. inter Provincias Europæ. Hæc de autoribus qui expresse scripserunt de Vngaris.

Nominatim, multa illustrandæ rei Hungaricæ habent *Antoninus Florentinus Archiepiscop. Otto Phrisingensis, Conradus à Liechtenavv Abbas Vrspergensis*, in hist. suis. *Io. Aventinus* in 7. lib. annalium Bojorum, *Æneas Sylvius* PP. *Pius II. Volaterranus*, *Paulus Iovius*. *Chronic. comment. Ioh. Naucleri. Beatus Rhenanus rerum Germanic. Munsterus Cosmograph. Chronicon Carionis, Thuanus, Cuspinianus & Wolffgangus Lazius* in operibus suis, *Io. Sleidanus, Bilibaldus Birkhaimer*, M. *Antonin. Coccius Sabellicus Rapsodiæ historicæ, Sigismundi Baronis ab Herberstein rerum Moscoviticarum comment. Ioachimi Vadiani Epitome trium terræ partium* &c. *Andreas Althamer comment. in German. Taciti. Io. Boemi Aubani Mores, Leges & Ritus Gent. Io. Barclai Argenid. & Icon Animorum. Philippi Honorii Thesaur. Polit Christoph. Pezelii Mellificium histor. Michael Neander de orbis terræ partium. Io. Ludovici Gothofredi Archontologia Cosmica.* Plures, qui vel obiter vel nominatim comminiscuntur Vng. in disquisitione hac, obvii sunt lectori; librorum variorum ut & majorum partem horum rum autorum,usum, benevolentiæ & benignitati Clar. Dn. Præcept. Matthiæ Berneggeri acceptum fero, qui eos ex instructissimâ suâ Bibliotheca mihi commodavit Illud non tacendum in tam numerosa classe auctorum vix duos repertos esse,qui certo ordine ad principium ad Politiam suam revocarent Vng. utpote Wolffgang. Lazius in der Chorograph.beschreibung deß Königr. Vng.& ex eo Arthusius summatim retulit.quæ aliâs Lazius breviter habuit. Chronologia autem latina & Archilogiæ liber primus Pannoniæ mihi non est visus.

Non abs re fore existimo judicia qnædam de Vng.scriptorib.huc apponere ex rerum Vng.script.compilat. Epist. dedic. d. l. & aliis. *In Thuroczio* (scribit) *simplicitas placet & fides: quæ certa, ex fragmentis veterum annalium quæ Lazius citat non semel, & Michaele Ritio & Bonfinio ipso, qnoties insistere veterum Hungaricarum Historicarum vestigiis lubet. Ranzanus, sanè negligens est. Callimachus accuratus, & elegans nec inutilis Galeoti Martii opera.* Videatur etiam de *Thuroczio Callimacho & Antonino Floreut.* Judicium honorificum Joannis Trithemii in Volumine de script.Eccleſiast. De *Paulo Scalichio* Scaliger in confutatione Fabulæ. Burdonum: *Paulus Scalikius, qui se pro Michaëlis filio gerebat, homo Slavus erat, in Carnis natus, in Chroatis educatus, in Germaniâ institutus. An de genere suo mentitus sit id neque scimus, neq; confutamus, neq; nostra refert* &c. Multa contra hunc Scalichium *Wierus in apologetico*, quem adjecit ad libros de Præstigiis dæmonum. *Cuspinian.* in Turcorum Institut. in fine de Petanico. *Felicis Petancii commentarium, quibus itineribus Turci sint aggrediendi, veluti corollarium subjungo. Quo cum magna olim mihi fuit familiaritas, cum oratorem Cæsaris Maximiliani Budæ agerem. Hic etenim & ad Bajazetem II. & Zelymum aliquoties ivit orator, & plane multa Turcorum novit, quæ oculis vidit.* De cæteris omnibus unicum hoc judicium verissimum Comit. Petri à Revva in comment. Coronæ Hung. *Enimvero rerum Hungaricarum scriptores ut in aliis non paucis, ita in denominationibus quoque personarum & locorum hallucinantur frequentissimè, nomina aut cognomina, vel intermittunt, vel etiam perperam ponunt. Bonfin.* facit mentionem: *Athæ Palatini, Ladislai Wayvodæ Transylvaniæ, Blasij conservatoris Coronæ, Emerici Thesaurarii, Simeonis Præfecti Strigonii, ut plura taceam, at non appositio cognomine, qui illi fuerint quis intelligat?* addit mox: *Susceperunt quidem id oneris, exotici viri eruditi. Atqui in denominationibus personarum, locorumq; Hungariæ, quæ ipsa ad intelligendam historiam sunt apprimè necessaria, frequenter per errorem lapsos fuisse, nemo ibit inficias. Liceat mihi quæso bonâ eruditorum venia aliquot ejuscemodi in nominibus Vngaricis errores, in medium proferre. Iovius* eloquentissimus, familias alioquin celebres, in suâ historiâ: *Pechrios, Sircanos, Secalos,*

los, Gleſſas, Dotias, Turacos, Ianos, Pamphilios, Ferenctios, Gnaros, Americos, Cibachos, Morcos, Zdrinios, Bachianos, Revalios, Scendenas nuncupat. Melchior Soiterus profert in medium: Vagitium, Turco Vallam - Petrus Bizarus: Turrigerum, Callimachus Huniadianum. Ioannes Herbutus Thomã Tharctium, Markonem, Tallontium, Emericum Marcellum. Gaſparus Ens ſcriptor noſtrorum temporum non malus, meminit Sigismundi Ragaczii, Eliæ Hasquij, Ioannis Ianuſii, Budiani, Iſtvanii. Michael Neander, Vrantii. Acutus ille, & ſubtilis ſit oportet, qui horum nomina vel cognomina divinando quoq; aſſequi poſſit. Hactenus Comes Pet. à Revva. Injudicati ſunt Cuſpinianus quodammodo, Busbequius & Herberſtein Baro, maximè tamen Wolffgangus Lazius, qui primus omnium in denominationibus locorum & nominum perſonarum Vng. cornicum oculos confixit, ut in conciliandis nomin. antiquis & hodiernis, cum quovis nativo & peritiſſimo Vngaro Patriæ ſuæ, meo per exili judicio certare poſſit. Nec obſtat; quod quasdam res affectu ſuo obnubilat; plus quoque unus ille in hâc re contulit, quam cæteri. Inde conſilium mihi ex omni hac hiſtoricorum claſſe, quædam inſigniora diſtincto ordine de Regno Vngariæ tradere. Nam *exequi ſententias haud inſtitui, niſi inſignes per honeſtum, aut notabili dedecore: quod præcipuum munus annalium reor, ne virtutes ſileantur, utq; pravis dictis factisq; ex poſteritate & infamia metus ſit.* (Tacit. 3. annal. cap. 65.)

1. Regnum deſcribitur à Paulo Merula in Coſmograph. hoc modo: *Regnum βασιλεία, quod Regionibus Regi parentibus continetur.* part. 1. lib. 3 c. 23. Imperium autem definit Juſtus Lipſius: CERTUM ORDINEM, IN IUBENDO ET PARENDO. 2. Polit. 1. pr.

2. Nos miſsâ Regni, Regionis & Imperii, ſignificatione, quibus repleta ſunt Politicorum ſcripta, in præſentiarum *Vngariæ originem* inveſtigare conabimur.

3. Ut autem ordine procedat noſtra *Diſquiſitio*, ante omnia inquiremus cauſas, à quibus productum hoc *Regnum*.

4. Sunt igitur cauſæ vel *Remotæ* vel *Propinquæ*.

5. *Fundant gubernantque imperia cauſæ tres, (Politicè loquendo,) videlicet, Deus, Prudentia, & Occaſio.* F. Thom. Campanella Polit. cap. 8. aphor. 1. quæ tres partes *Fatum* nuncupantur. Idem in Hiſpanica Monarchia cap. 1. verba Germanica ex Italico à quodam Anonymo converſa hæc ſunt. Welche drey Stück alle zugleich man das Fatum zu nennen pfleget/ welches iſt eine zuſammen Stimmung aller Sachen/ die jhre Wirckung haben in krafft der aller erſten Wirckung. Dahero entſpringt das jenige/ ſo man das Glück heiſt: Dergeſtalt/ ſo man ein ſach bekompt darnach man geſtrebt/ ſchreibet man ſolches der Vernunfft

nunfft vnd Fürſichtigkeit zu/ ſo aber einem was vnverhoffter weiß zuſtehet/ attribuirt man ſolches dem Glückfall: id eſt, quæ tres partes cõjunctim *Fatum* appellantur, quod eſt congruentia & nexus omnium cauſarum, quæ efficaciam habent in potentia primæ omnium efficaciæ. Exindè oritur id, quod *Fortuna* nominatur: ea ratione, ſi res acquiritur ad quam adſpiratur, aſcribitur rationi & providentiæ, ſi verò cuiquam aliquid præter ſpem accidit, attribuitur id fortuito caſui.

6. *Sed in aliquibus notior alia eſt. In Hebræorum regno, Deus magis; in Romanorum, Prudentia magis; in Hiſpanorum, occaſio magis, in propatulo eſt:* Campanell. Polit d. l.

7. Fundamentaliter tamen & Politicè loquendo, harum trium partium una non operatur plus altera. Campanell. in Hiſpanica Monarch. d. l. vnnd vnter geſetzten drey ſtücken/ wircket/ keines mehr als das ander/ oder die zwey mehr als das dritte/ ſondern ſie befinden ſich Politiſcher weiß/ gründlich darvon zu reden/ alle drey zumal. Exemplum ſubiicit ibidem de Regimine Judaico.

8. *Quamvis phyſice omnium cauſarum cauſa ſit DEVS.* Campanell. Polit. d. l. *ex qua cæteræ pendent.* Senec. de Benef. 4. cap. 7. *Ex quo ſuſpenſa ſunt omnia, cauſa cauſarum. Vis illum naturam vocare? non peccabis. Eſt enim, ex quo nata ſunt omnia, cujus ſpiritu vivimus. Vis illum vocare mundum? non falleris. Ipſe enim eſt, totum quod vides, totus ſuis partib. inditus, & ſe ſuſtinens vi ſua. Idem Etruſcis quoque viſum eſt: & ideo fulmina à Iove mitti dixerunt, quia ſine illo nihil geritur.* Seneca. Quæſt. Nat. lib. 2. cap. 45. Quid? *nec quidquam omnino in hac grandi machinâ geritur, turbatur, miſcetur, (peccatum excipio) cujus non cauſa & origo à primâ illâ causâ.* Lipſ. 1. de Conſtant. 13.

9. De Hunnis Jornandes. *Illi verò qui præter Mæotidem paludem alium mundum eſſe penitus ignorabant, admiratione inducti terræ Scythiæ, & ut ſunt ſolertes, iter illud nulli ante hanc ætatem notiſſimum, divinitus ſibi oſtenſum rati;* &c. de Reb. Get. cap. 67.

10. De Hungaris qui ultima vice Pannoniam repetierunt Thvvrocz. *Retradit autem dominus* HUNGARIS. *Pannoniam ſicut tradiderat filiis Iſrahel tempore Moyſi terram Seon Regis Amorrhæorũ, & omnia regna Chanaan in hæreditatem.* part. 2. cap. 3.

11. PRUDENTIA claret ex *Inquiſitione* & *Diſpoſitione.* per omnia.

12. Exploratio I. erat, in *hoſtium exercitum, locorum ſitum, naturam regionis* (Liv. lib. 22. cap. 38.) Jornandes de Hunnis: *ad ſuos redeunt, rei geſtum edicunt, Scythiam laudant, perſuaſaq; gente ſua, via quam cervæ*

indice

indice didicere ad Scythiam properant de Rebus Get.d l. Adde Thvvrocz. part.1. cap.4. Antonium Florent. part.2. tit.11 cap.8.pr.

13. Hinc citimos, *nec nisi antè expertos aggredi prælio* destinant. (Suet. in Cæs. cap. 44.) *Primo igitur exiguam militum manum de viribus Gothorum feciſſe periculum, poſtea autem cum omnibus copiis aggreſſos prælio devicisſe, & omnem eorum regionem occupaſſe.* Sozom. ſcribit lib. 6. cap.36. Jornandes *& quantoſcunque prius in ingreſſu Scytharum habuere, litavere victoriæ, reliquos perdomitos ſubegere. Nam mox ingentem illam paludem tranſiere, ilico Alipzuros, Alcidzuros, Itamaros, Tuncaſſos, & Boiſcos, qui ripæ iſtius Scythiæ inſidebant, quaſi quidam turbo gentium rapuere.* de Rebus. Get.d.l. Florent.d.l.

14. II. In deligendo & inquirendo *pingui Pannoniæ tellure.* Thvvrocz. part. 1. cap. 11. Audientes autem terræ utilitatem de habitatoribus, quod optimus fluvius eſſet Danubius, & melior terra in mundo non eſſet partibus illis, accepto communi conſilio, miſerunt nuncium nomine Kuſid, filium Kund, ut iret, & totam terram proſpiceret, habitatoresque terræ agnoſceret. Cum ergo Kuſid veniſſet in medium Hungariæ; & circa partes Dannubii deſcendiſſet; vidit locum amænum; & circumquaque terram bonam ac fertilem; fluvium bonum & pratoſum: placuit ei. Deinde venit ad ducem provinciæ, qui regnabat poſt Attilam, vocatum Zvvatapolug: Salutavitque de ſuis, & cauſam, pro qua venerat manifeſtavit. Hæc audiens Zvvatapolug, gaviſus eſt gaudio magno. Putabat enim illos eſſe ruſticos, & venire ut terram ejus colerent. propter hoc nuncium delicatum remiſit. Kuſid autem de aqua danubii lagenam implens, & herbam pariarum ponés in utrem, & de terra nigri ſabuli accipiens, ad ſuos reverſus eſt. Cumq; narraſſet omnia, quæ audierat & viderat, valde placuit eis. & lagenam aquæ, terram & herbam eis præſentavit. De quibus ipſi ſapiendo bene cognoverunt terram optimam eſſe, & aquam habere dulcem, & pratũm cum herbis fænilibus: quæ nuntius eis recitavit. Arpad verò cum ſuis de aqua Danubii cornu implens, ante omnes Hungaros ſuper illo cornu omnipotentis dei clementiam rogavit, ut dominus eis terram in perpetuum concederet. Finitis his verbis, omnes Hungari clamarunt, *Deus, Deus, Deus*, tribus vicibus. & ibi inventus eſt uſus iſte, & ſervatur apud Hungaros uſque modo. Deinde communi conſilio ad prædictum ducem eundem nuncium miſerunt: & ei equum album magnum cum ſella de aurata auro Arabiæ, & freno deaurato miſerunt pro terra ſua. Quo viſo dux ipſe magis gaviſus putabat, quod ei pro terra quadã hoſpitalarii miſiſſent. Nuncius ergo impetravit ibi à Duce terram, herbam & aquam. Dux verò ſubridens ait: habeant quantumcunque volunt pro hoc munere. & ſic nuncius ad ſuos reverſus eſt. Arpad autem interim cum ſeptem ducibus Pannoniam intravit: non ſicuti hoſpites ſed ſicut terram jure hæredario poſſidentes. Tunc nuncium alium ad Ducem miſerunt, & ei hanc legationem mandaverunt. *Arpad cum ſuis tibi dicit, quod ſuper iſtam terram, quam à te emerunt diutius nullo modo ſtes: quia terram tuam cum equo emerunt, herbam cum freno, aquam cum ſella. & tu propter emphyteuſin id eſt, inopiam & cupiditatem, terram, herbam & aquam conceſiſti.* Cumque duci dicta eſſet legatio ſubridens dixit: *equum illum malleo ligneo interficiam, frenum autem in pratum projiciam, ſellam verò de aurata in aquam danubii abjiciam.* Cui nuncius: *& inde domine quid damni habebunt? ſi equum interficis, canibus ſuis victualia dabis: ſi frenum in herbam projicies: homines ſui, qui fænum falcant, aurum freni invenient. ſi verò ſellam in danubium abjicis, piſcatores illius aurum ſellæ ſuper littus exponent atq; domum reportabunt. Si ergo terram, herbam & aquam habent, totum habent.* Hæc Thvvrocz. de Vng. qui ultimâ vice Pannoniam repet. part.2.c.3. Bonfin. dec. 1.lib.9. Joannes Dubravius Hiſt. Bojemicæ lib.4 pr. *Quo magis admirati ſumus,* (ſcribit Busbequius) *cum Savum trajecimus, priſcorum Hungarorum judicium; qui Pannoniam felix omnium rerum copia domicilium ſibi delegerunt.* epiſt.1.

15. Diſpoſitio erat in *Actu* & *Actione*. *Actu*; Edictum fuit, ut cum res communitatem æqua ſorte tangentes occurrerent, aut generalis expeditio exercitus incumberet, mucro ſanguinis aſperigine tinctus, media Hunnorum per habitacula caſtraque deferretur: uxorque ſubſequeretur præconica dicens: *vox Dei & præceptum communitatis univerſæ: ut unusquisque in tali loco:* eundem deſignando locum: *armatus vel qualiter poteſt, compareat: communitatis conſilium ſimul & præceptum auditurus.* Hæc conſuetudo inter Hunos ſive Hungaros uſque ad tempora Geiſæ ducis filii ducis Toxon filii Arpad inviolabiliter extitit obſervata: & multos generatione de hac, perpetuam redegit in ruſticitatem. Nam ſancitum erat, ut tranſgreſſores hujuscemodi mandati, niſi rationabilem aſſignarent excuſationem, cultro media per viſcera dividerẽtur: aut in deſperatas cauſas, vel communem immiſericorditer redigerentur in ſervitutem. Hæc ſanctio alios ex Hunnis plebejæ perhibetur effeciſſe conditionis. Nam cum una & eadem fuerint generatio, & à quodam Hunor & Magor unanimiter proceſſerint, aliter fieri nequiſſet, ut alter dominus, alter ſervus vel ruſticus effici potuiſſet. Thvvrocz part.1.cap.10. ex quo verbatim jus noſtrum Tripart. hoc recenſet. part. tit.3. & vox præconia ſcribit, pro uxorque præconica. *Quam conſuetudinem adhuc in Tranſylvania, in Turcarum tumultu obſervatam*

vatam vidimus scribit in re simili Bonfin. dec. 1. lib. 2. Idem de Turcæ refert Arthusius chronolog. hist. Pannoniæ. pag. 113. Der Türckisch Keyser leist seinem gantz n Land bey dem Saybel auff bieten &c.

16. *Actione*, prudentiam observabant in curando; quæ alterutri tempori opportuna est. Uti in *Turbulento*, propter vim; in *Quieto*, ad conservandam pacem & tranquillitatem.

17. Ad *propulsandam vim vi*, Hunnorum multitudo armata, Capitaneos sibi præposuit. | *Quos utiles bello esse quid dicam? imò necessarios: animam nempe exercitus, & vitam ipsam. adeò ut verè scriptum sit.* Lips. 5. Polit. 14. *Militarem sine duce turbam, esse corpus sine spiritu.* Curt. lib 10. cap. 6. hoc est, quod Chabrias inducit: *terribiliorem esse cervorum exercitum Leone duce, quàm Leonum agmen ducente cervo.* Plut. in Apopht. Gruterus Disc. 10. in Tacit.

18. Prudenter igitur & peritè, Hunni ex Scythia Asiatica Europam ingressuri, *plus reponentes in ducibus, quam in exercitu* (Tacit. de Germ. cap. 30.) ac capitaneos, puta Bela filio Chelæ de genere Zemen orto: Keme & Kadicha fratribus ejusdem: Attila Kevve & Buda filiis Bendeguck, de genere Kadar eligentes sibi præfecerunt. Omni quoq; cætu suæ nationis computato, de centum & octo tribubus decies centena & octoginta millia de unaquaq; tribu decem millia armatorum virorum connumeraverunt. hosque manu uti, & hostem si occurreret opprimere: fœminas quoque illorum ac familiam popularemq; gentem cunctam, quam secum ducebant pariter & armenta extraneo ab insultu tueri deputaverunt. Thuurocz. part. 1. cap. 10. de centum & octo tribubus vide cap. 5. aut d. Hinc est quod Ammianus Marcell. lib. 31. cap. 3. de Hunnis scribit. *Aguntur autem nulla severitate regali, sed tumultuario primatum ductu contenti, perrumpunt quidquid inciderit.* Occurritque ducis nomen in Sidon. Carm. 2. v. 241.

Sed Scythicæ vaga turba plagæ ———
——— *cujus dux Hormidac atque*
Civis erat; id est, natus Hunnus.

19. E diametro obstant: Procopius lib. 4. belli Goth. descript. Ponti Euxini, quæ desideratur apud illum, edita à Vulcanio cum Jornande: *Multitudo ea quæ dixi loca inhabitabat, (ad Mæotim paludem) iisq; princeps unus præerat.* Jornandes de Reb. Get. cap. 24. & 48. qui producit *Balamberum* I. Regem Hunnorum post egressum è palude Mæotis. Clariusque adhuc cap. 35. refert hæc: *Is namq; Attila patre genitus Mundzucco, cujus fuere germani Octar & Roas, qui ante Attilam regnum Hunnorum tenuisse narrantur, quamvis non omnino cunctorum. Eorum ipse post obitum, cum Bleta germano Hunnorum successit in regnum.* Fateturq; Priscus, Excerpt. ex hist. Goth. pr. *Cum autem Rova mortuo, Hunnorum regnum ad Attilam pervenisset.* Hos secuti, Philipp. Callimach. in Attila, quem I V. Regem Hunn. à transitu in Europam fuisse affirmat. Sigebertus Gemblac. in Chronographia. Idem ex hoc tradit Christophorus Helvicus in Chronologia sive Theat. Historico.

20. Quid hic pronuntiem? Hæreo! nec me expedio. Repetere hic licet, quod in Proœmio dixi: *Res ante magnam Attilam, & sub ipso, fabulis veluti obscura sunt.* Quid enim? Jornandes universorum Hunnorum regnum, Reges obtinuisse non asseverat. Liquet & ex Excerpt. Prisci hist. Goth. de Acatziris: *Ea gens est Scythica, quæ in potestatem Attilæ hac de causa venit. In eam gentem plures, per tribus & generationes, imperium exercebant.* Confundit quoque Sigebertus Duces & Reges, ac post Balamberum Regem Hunnorum duos duces recensens: *Hunnorum ducibus Gnama & Melga.* in chronograph anno 389. Lubet ergo cum Bonfinio loqui: *Nos autem vetera monumenta nimia auctoritate pollentia, etiam in errore sectari, quam cum his (dum licet) bene sentire malumus.* dec 1. lib. 2.

21. Utut sit Pannoniam occupavit, memorata communitas sive duces sibi præposuerit; sive Regem elegerit. Nam & non imprudenter, summa rerum in Regem transferri potest. Quid? *Quod dominium unius, tempore belli, melius: tempore pacis, multorum. Idcirco Romani dictatorem, periculosis bellis urgentibus, erigebant, ut subitò, absq; consiliorum mora multorũ, provideret: in pace vero consules duos cum senatu.* Campanell. aphoris. Polit. 2. cap. Clapmar lib. 3. c. 19. de Arcan. Rerumpubl.

22. *Multitudo armata* supra dixi, ideò, ne propria fiducia multitudines, *nudum & cæcum corpus adversus hostes verterent* (Sallust. in Jugurth. cap. 107.) sine armis. Veluti cæteri Scythæ, de quibus Niceph. Gregoras lib. 2. cap. 7. in fine. *multitudo eorum penè innumerabilis, agilitas corporum, ac celerrimæ progressiones, & (quod hæc superat) mortis contemptus; & ferarum more rectus in adversum hostem impetus.* Sine dubio Attila, in Orat. adhortat ad milites in campis Catalaunicis, id innuere voluit hoc facto: *Quis adhuc inermibus cedere faciebat armatos.* Jornand. de Reb. Get. cap. 39. Haud absimile est quod scribit Gaspar Ens Rerum Hung. hist supplemento de conflictu Vngarorum & Turcarum anno 1604. *Tanta erat Arabum sui fiducia, ut magnam partem corporis nudi, in nostros incurrerent, gladiisq; obvia quæque meterent: quorum tamen audaciam nostri ita represserunt, ut facilè intelligerent, non cum vagis illis & male armatis latronibus, quibuscum domi bella gerunt, sed cum intrepidis fortissimisq; militib. sibi rem esse.* De genere armorũ infra in *Causa* Formali dicã.

23. Ad *conservandam concordiam & tranquillitatem*; unum præterea

terea rectorem nomine Kadar, virum sapientem, & ad id idoneum, " quod lites sopiret dissidentium: furesque ac latrones castigaret, inter " se constituerunt; edicentes nihilominus decreto generali: ut si rector " ipse immoderatam diffiniret sententiam; communitas illam in irri- " tum revocare, errantemque rectorem tum corripere: ac pariter & ca- " pitaneos dum vellet, deponere posset. Thuuroc7. part. 1. c. 10.

24. Tertia causa acquirendi dominia est Occasio.

25. *Occasiones dominia acquirendi sunt innumerabiles. Sed præcipuæ sunt, virtutes & fortitudo & multitudo tua, & imbecillitas inimicorum & extraneorum.* Campanell. Polit. cap. 11. aphoris. 1.

26. *Item divisio provinciæ occupandæ in regulos plures & respublicas discordes, magis autem in sectas varias.* Campanell. aphor. 2. d. l.

27. *Magis autem si quis ex eis te ad sui defensionem introducit.* aphor. 3. d. l.

28. *Item si parvulus est Regis defuncti filius.* aphor. 4. d. l.

29. *Item si exosus Rex suis.* aphor. 5. d. l.

30. *Item si populi sunt mutationis avidi.* aphor. 6. d. l.

31. *Si potentiores venales.* aphor. 7. d. l.

32. *Item si interregnum.* &c. aphor. 8. d. l.

33. *Omnia tandem externorum mala, & vitia, sunt occasiones, unde tibi subdantur: præsertim verò idololatria & antropophagia.* aphor. 9. d. l.

34. De *virtute* & *fortitudine* Hunnorum infra dicendi locus erit. Multitudo supra ex disquisit. 17. constat. Imbecillitatem Romanorum & discordiam inter se D. Hieronymus docet, de Hunnorum adventu loquens: *Aberat tunc Romanus exercitus, & bellis civilibus in Italia tenebatur.* additque. *Muri neglecti pacis incuria farciebantur: Antiochia obsidebatur. Tyrus se volens à terra abrumpere, insulam quærebat antiquam. Tunc & nos compulsi sumus parare naves, esse in littore: adventum hostium præcavere, & sævientibus ventis, magis barbaros metuere quam naufragium, non tam propriæ saluti, quam virginum castimoniæ providentes. Erat in illo tempore quædam apud nos dissensio, & barbarorum pugnam domestica bella superabant.* Epistola ad Oceanum Epitaphium Fabiolæ.

35. Divisio regulorum erat sub Valentiniano & Valente. *Quo tunc regnante, alter Valentinianus in Britannia tyrannidem assumens, in continenti oppressus est. Constantinopoli quoque Procopius quidam contra Valentem insurgens, nihilque prævalens, urbe egreditur, & in phrygiam Salutarem tyrannizans extinctus est.* Jornandes de regnorum successibus. Huc adde quæ de Ruffino & Stilicone tempore Honorii historici tradunt. *Ideò arma Romanorum, alterum solem mundi hac ratione fuisse, prius in regulos & barbaros divisi, non inepte prædicat Plinius. Ergo rectè Salomon ait Prov. 28. v. 2. propter peccata terræ multi principes ejus.* Campanell. Polit. cap. 8 aphoris. 21.

36. Discordes Respublicas per sectas varias effecit *Valens ab Eudoxio Arianorum Episcopo suasus & baptisatus, contra orthodoxos infestus insurrexit.* Jornand. de Regnorum succes. Idem de Rebus Get. cap. 25. *Et quia tunc Valens Imperator Arianorum perfidia saucius, nostrarum partium omnes Ecclesias obturasset, suæ partis fautores ad illos dirigit prædicatores, qui venientibus rudibus & ignaris, ilicò perfidiæ suæ virus defundunt. Sic quoque Vesegothæ à Valente Imperatore Ariani potius quam Christiani effecti.*

37. Arnulfus ad sui defensionem introduxit Vngaros. *Quum Arnulfus Cæsar bellum gereret adversus Zventabaldum Maravanensiu Sclavinorum principem, in Care periculum facturus (quemadmodum Græcis est in Proverbio) submotam istam Hunnicarum reliquiarum gentem, quæ tot annis quieverat, in subsidiu reseratis aditibus evocat. Et victoriam quidem de Zventebaldo reportavit Vngarorum auxiliis, sed quem hostem regnare præstitisset, illis non excitis. Siquidem post eam Imperatori navatam operam, rursus ad depopulandum orbem animati majorum suorum exemplo &c. in Pannonia secunda fixis sedibus.* Beatus Rhenanus Rerum Germanicarum. lib. 1. *quod auxilium paulò post eo moriente tum genti suæ, tum cæteris in meridie occasuque degentibus nationibus, grave periculum, imò excidiu fuit.* scripsit de Arnulfo Liuthprand. hist. lib. 1. cap. 5. qui iisdem temporibus claruit. ex quo hæc retulit Rhenanus, Aventinus lib. 4. Annalium Bojorum. Lazius Chorograph. beschreib. deß Königr. Vngarn. Belli causam Vngarorum cum Zventebaldo indicavi supra disquisit. 14.

38. Arnulphum Imperatorem hanc ob causam prædictus Liuthprandus opinatur, pediculari morbo correptum esse. l. d. c. 9. *Arnulfus in propria turpissima valetudine expiravit. Minutis quippe vermibus quos pedunculos ajunt, vehementer afflictus spiritum reddidit. Fertur autem quod præfati vermes adeò scaturirent, ut nullis medicorum curis minui possent. Vtrum verò pro tam immenso scelere, Hungarorum scilicet emissione, secundum Prophetam duplici sit contritione attritus, an ut ex præsenti supplicio consequeretur veniam in futuro, solius Dei scientiæ dimittamus.* &c.

39. *Sexcentis exemplis demonstrari potest, externa auxilia adscita vocanti exitiosa fuisse* pluribus docet Cl. dominus Christophorus Forstner Austrius Hypomn. Polit. 2. & hoc facto: *Athenienses auxilia socius & externis ferendo ad tantam potentiam pervenisse ait. Postremò hanc ob rationem Itali Politici Sigismundum Bathorium Transylvaniæ Principem imprudentiæ arguunt, quod cum Romano Imp contra Turcas arma sumpserit: cui Imperatorem ob jura in Transylvaniam prætensa multo magis quã Turcam*

tam timendum fuisse ajunt. Trajan. Boccalin. in lapide lydio Polit. c. 17. Et concivis ejus Wolffgangus Lazius, ex Bonfinii decad. 2. lib. 2. Wie nun aber die vnder Marckhern / das ist das Land von der Teyssa vnter an die Marckh weg kommen sey in der Hungern gewalt / zeigt Bonfinius der Hungerisch Chronographus an / das nach Todt König Geysæ, deß ersten Christen / S. Stephan geheissen Uratislaus der Marckern König so Böhem vnd Poln / auch vnter jhme gehabt hat / drey Söhne vnter sein verlassen habe Uratislaum, welcher als der Elter / beyd Marhern vnter den Titel deß Königreichs einnam / Misico, gefiel Poln / vnd Spitigneo dem Jüngsten Böhem / aber die zween Jungen wolten an der Theylung nicht zu frieden sein / bekriegten jhren Elteſten Bruder Uratislaum schlugen jhne vnd trangten dermassen / das er bey König Andre zu Hungern must hülff suchen / der thet wie die Türcken vorzeiten den Grechischen Keyser / vnd zu vnsern zeiten König Hansen gethan haben. Er hülff dem Marher / behielt in bey seinem Reich / aber must jhm abtretten / das in der Marhern / vnd sich begnügen lassen an Marhern / so noch verhanden ist. Chorograph. Beschreib. deß Königr. Vng.

40. Inter regnum Gothorum, & Roxolanorum odium & infidum factum in Regem illorum, Hunnos primitus victores effecit contra Gothos. Jornandes de Rebus Get. cap. 24. *Roxolanorum gens infida, quæ tunc inter alias illi famulatum exhibebat, tali eum nanciscitur occasione decipere. Dum enim quandam mulierem Sanielh, nomine ex gente memorata, pro mariti fraudulento discessu, rex furore commotus, equis ferocibus illigatam, incitatisq; cursibus, per diversa divelli præcepisset: fratres ejus Sarus & Ammius germanæ obitum vindicantes, Ermanarici latus ferro petierunt: quo vulnere saucius, ægram vitam corporis imbecillitate contraxit. Quam adversam ejus valetudinem captans Balamir rex Hunnorum, in Ostrogothas movit procinctum: à quorum societate jam Vesegothæ discessere, quam dudum inter se juncti habebant. Inter hæc Emanericus tam vulneris dolorem, quam etiam incursiones Hunnorum nō ferens, grandævus & plenus dierum, centesimo decimo anno vitæ suæ defunctus est. Cujus mortis occasio dedit Hunnis prævalere in Gothis illis, quos dixeramus orientali plaga sedere & ostrogothas nuncupari.*

41. Quæ de vitiis & cæteris malis hoc loco dici possent brevitatis causa omittenda sunt. Unicum hoc de Abaris, qui à Bulgaris vi subacti sunt, ex Suidæ historica apponam. *Captivos autem Abares Crem ita rogavit: Vnde censetis ducem vestrum & totam gentem periisse? qui sic responderunt: Causa prima fuit, quod plerique inter sese accusarunt, & fortissimos ac prudentissimos quosque occiderunt. Deinde homines injurii & fures, socii judicium evaserunt. Deinde ebrietas. Magno enim vini proventu facti sunt ebrioſi. Deinde corruptela munerum. Deinde negotiatio. facti enim sunt omnes mercatores, & alios alii deceperunt. Ac excidium nostrum has habuit causas. Is vero hisce auditis, Bulgaros omnes convocavit, legesq; hujusmodi constituit: si quis aliquem accusarit, non audiatur prius quam vinctus (quæstionibus adhibitis) examinatus fuerit, occidatur: Nemini liceat furi cibum impertiri: qui verò id ausus fuerit, publicus esto. Furi crura confringi, vineas omnes radicitus extirpari jussit. Omni autem petenti non simpliciter, dari, sed quod satis esset dari jussit, ne denuò egeret. Qui secus fecerit, publicus esto.* in voce Bulgari.

42. In *Fato* per se, sapientes pensiculatim considerant volubilitatem rerum & mutationes in toto orbe: *Æterna lex à principio dicta omni huic mundo, nasci, denasci, oriri, aboriri: nec quidquam stabile aut firmum arbiter ille rerum esse voluit, præter ipsum.*

uni Deo
Nunquam senectus, atra nec mors iminet:
Sed alia miscet domitor ætas omnia.

exclamat Tragicus vates. Sunt Sophoclis versus. Lipſ. lib. 1. de Constant. cap. 16. Atque ut Tacitus ait, 3. Annal. cap. 55. *rebus cunctis inest quidam velut orbis, ut quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur.*

Regitur fatis mortale genus,
Nil sibi quisquam spondere potest
Firmum & stabile. Senec. Octaviâ act. 5.

43. *Quid censes opida, respublicas, regna? quæ tam mortalia esse necessum est, quàm eos qui fecerunt. Vt hominibus singulis adolescentia sua, robur, senecta, mors: sic istis.* Lipſ. de Constant. d. l. Huc tendit Pachymerius. *Fatum ut animantibus, ita & civitatibus inevitabile.* lib. 2. cap. 27. Exempla vide in Lipſ. Constant. d. l.

44. *Opida adhuc loquor & urbes. sed regna etiam & provinciæ trahuntur in hanc labem. Olim Oriens floruit, & Assyria, Ægyptus, Judæa valuere armis ingeniisq;: sors ea in Europam transiit.* Lipſ. de Constant. d. l. *Græci floruerunt? post hos Afri, post hos Romani, post hos Scythæ: & quid scio an non brevi nova aliqua gens?* Lipſ. not. Polit ad lib. 1. c. 4.

45. Apparet quoque, *quemadmodum urbium imperiorumq;, ita gentium nunc florere fortunam, nunt senescere, nunc interire.* Vellejus Paterculus lib. 2 cap. 11. *Stare in fastigio Scythas sive Turcas jam video: & stare. A multis annis nulli eorum progressus: profectò (verè vaticinor) spectant casum.* Lipſ. in not. Polit. d. l. De his, bellica tuba personat Campanella in Hispanica Monarchia cap. 30. quæ verba ex Germanico in latinum conversa hæc sunt. *Et pro certo opinor, Regnum hoc hac ratione perditum*

ditum iri, quando duo filii illud inter se divident, quorum alter auxilium à Christianis, & cum illis sentiens Christianus fiet, quod secundum Prognosticon Torquati Astrologi sub XVI. Imp. fiet, cum Luna, quam in clypeis & insignijs usurpāt decrescet, & in duos dominos dividetur. Nam illorum insignia fatalia sunt, sicuti colligitur ex Apocalypsi S. Iohannis, ubi Regnum Draco, Aquila, Leo, vocatur, & Ieremias appellat Assyriacū Regnum Columbam, quoniam Assyrij in insignijs & clypeis columbam gestarunt. Adde & præcedentia verba Campanellæ eodem capite. Verba Torquati hæc sunt, de quo satis aperta vocalitate scripsit, Prognost. ad Matthiam I. Regem Vng. (de quo in Proœmio dictum.) *Anno tunc* CHRISTI. *M.D. XXXIV. vel M.D. XXXV. sed prius Apuliam intrabit, & Siciliam, & Galliæ Hispaniæque littora classe sua, nec non & Italiam molestabit & affliget, terrorem magnum Christianis incutiet. Sed* CHRISTUS *tandem suorum stragem diutius non feret. Furorem Germanorum, Vngarorumq; militiam, & Hispanorum atque Italorum ingenia contra eum adducet. Et tandem superatus interficietur, in quo prælio, ac negotio Regis Vngarorum laus erit prima. Nam ut astra prædicunt, dicti Regis auspicijs ingenio industriaq; ac ductu perficientur omnia.*

Hæc de morte immanissimi Imperatoris Othomanorum, & victoria contra eum per Christianos habenda prædixi. Othomanica namq; domus in XIII. vel XV. capita deficiet, neque illum excedet numerum, neque annos salutis M.D.XXXVI. transibit. Tunc omni horrendo concidet casu. &c. plura ibidem videri possunt, quæ præcedunt & sequuntur. Multa quidem quæ vaticinatus est de Europa & Vngarico Rege ac Regno Torquatus, eventus comprobavit, ut infra congruè demonstrabo, hoc Prognosticon autem nisi ad futurum tempus referimus, non video quomodo aliter fidem mereatur, nisi exitus & rerum finis sic probaverit.

46. Nec hinc alienum Carionis testimonium: *Audivi ex Lusitano quodam, Astrologum quendam dixisse Ferdinando Cæsaris nostri proavo, ab Hispaniarum Rege Turcicum Imperium domandum ac evertendum esse, & hunc ipsum Regem interpretatum esse de Ferdinando, sed respondisse Ferdinandum, se id non esse facturum, sed hæredes suos posteros.* Chronic. lib. 3. pag. 487. f. edit. Lugdun. in 12. Spes itaque est, completum iri hoc vaticinium sub Augustissimo & Clementiss. Ferdinando II. Imp. & Rege Vng. ac Bohem. si magna, intestina & diuturna bella, Trojani scilicet belli tempus jam superantia, tolerabili & benigna pace finirentur. Quandoquidem: *Bellorum egregij fines, quoties ignoscendo transigatur.* Tacit. 12. Annal. cap. 19. At Fortunam maximum instrumentum ad Potentiam esse Invictiss. nostro Imp. quis neget? Est enim certe sub hoc astro; ut ipsi, *ad amplitudinem, & gloriam, & ad res magnas bene gerendas, divinitus adjuncta Fortuna videatur.* Cicero pro Lege Manil.

cap.

cap. 16. m. A quibus, omnibus, suis & majorum rebus gestis, formidolosus: trahens secum omne robur exercitus invictorum veteranorum militum, quibus magnam Europæ partem debellarat. Et augurari licet de Turca, si non *omni horrendo concidet casu* Torquat. d. l. *tamen felicissimo mactatu per* aliquot *lustra resectum* iri. *Scio & illud: fatali mille annorum periodo ad finem deducta, non prius hos Aquilæ Cæsareæ draconisq; Turcici conflictus conficiendos: quam labes priores absterse.* Coberus observat. Castrensi Vng. 1. Scholia.

47. In Familiis, *liberorum statum raro ultra trinepotes feliciter durare* statuit Waremundab Erenberg tractat. de Fœderibus lib 1. n. 29. Cui proximè adsidet Euphormion. Lusinini, hoc est Johannis Barclai comentum, quo idem velat his verbis: *Claram stirpem tenebris premi grave est, & abire à parentum luce* &c.

O patria, o arces, o dulcia tecta parentum,
Vnde avus, unde pater, tres unde ex ordine fratres
Sceptra tulere mei, mene o agnoscitus arces? &c.
—— Iam cedere divis
Felicesq; sequi juvat, & subscribere fato, &c.

Vide totum locum lepidiss. Satyr. part. 2.

48. Hæc *fato quodam, cujus maligna perpetuaq; in omnibus rebus lex est, ut ad summum perducta, rursus ad infimum, velocius quidem quam ascenderunt, relabantur.* Senec. pater in præfat. 1. Controvers. fermè post pr.

—— —— Sic omnia verti
Cernimus, atq; alias assumere pondera gentes,
Concidere has. —— ——

Ovid. Metam. lib. 15. vers. 420. Sic Parthi. Iustin. lib. 41. cap. 1. pr. de quibus etiam d. l. Euphorm. Plura vide apud Just. Lipsium lib 1. Polit. cap. 4 & ibid. Not. de Constant. lib. 1. cap. 16. per totum.

49. Et hæc de Fati volubilitate & mutatione in quovis ordine, cujus vis in Inclinatione Romano-Græci Imperii causa Exordii Regni Ungarici.

40. Dictum est supra disquisit. 5. Campanellæ verbis *Exinde oritur id, quod Fortuna nominatur: &c. si cuiquam aliquid præter spem accidit, attribuitur id fortuito casui.* Expresse ita de Hunnorum exitu ex Palude Mæotide scribit Jornandes ex Prisco Historico: *Hujus ergo (ut assolent) venatores, dum in ulteriori Mæotidis ripa venationes inquirunt, animadvertunt quomodo ex improviso cerva se illis obtulit, ingressaq; palude nunc progrediens, nunc subsistens indicem se viæ tribuit. Quam secuti venatores, paludem Mæotidem, quam imperviam ut pelagus existimabant, pedibus transiere.*

fiêre. Mox quoq; ut Scythica terra ignotis apparuit, cerva disparuit. Quod credo spiritus illi, unde progeniem trahunt, ad Schytharum invidiam egêre. de Rebus Get cap. 24. Procopius lib. 4. in de script. Ponti Euxini, & ex his Sigebertus Gemblac. Chronog. Antonius Florent. part. 2. tit. 11. cap 8. pr. Bonfin dec. 1. lib. 2.

51. Facultatem transeundi demonstrat Zosimus Hist. lib. 4. *Nam & hoc memoriæ proditum reperi, videlicet è limo, quem Tanais devehit. Cimmerium Bosphorum terra constratum, facultatem eis præbuisse, itinere terrestri ex Asia in Europam transeundi.* Quamobrem Polybius scribit, lib. 4. *labantibus annis Pontum arenarum cumulis ita exaggerari, ut propter illuviem quam Danubius, Boristhenes aliaq; flumina in ipsum invehunt, navigationi reddatur inutilis.* Quem refellit Busbequius epist. 1 *Illud nefas reticere, valde falli Polybium, variis argumentis colligentem fore, ut labantibus annis &c. neq; enim hodiè palo minus navigabilis Pontus est, quàm fuit olim tempore Polybii. Sic sæpe sententias, quæ nullis rationibus refelli posse videbantur, dies atq; usus refellit.* Bonfinius d. l. conjectat: *haud procul à Cimmerio Bosphoro Mæotim congelatam (ut mea fert opinio) transmiserunt.*

52. Bovem fuisse existimat Nicephorus Callistes Hist. Ecclesiast. lib. 11. cap. 48. *Quum autem bos aliquando ab œstro ictus lacum trajecisset, & in ulteriorem ripam pervenisset, eumq; pastor insequens aquarum terminum vidisset, rem eam popularibus suis indicavit. Alia quoq; fama fert non bovem, sed cervum potius, vadosum hunc tramitem, summis aquis tectum, indicasse, quum retia venantium Hunnorum effugisset, qui tum feram persequentes &c.* Idem Sozomenus Hist. Ecclesiast. lib. 6. cap. 36. Ex his & superioribus constat, *ordo* causarum in fato, & ad strictio ad *Tempus* & *locum*, quæ ad Fati definitionem adjunxit Justus Lipsius exemploq; demonstravit, *miram illam & nunquam explicandam vim, quâ omnia eventa & certis locorum sedibus, & temporum momentis, sunt adstricta*, de Constant. lib. 1. cap 19.

53. *Ita fato placuit, nullius rei eodem semper loco stare fortunam* Seneca Consol. ad Helviam. cap 8. Ita Hunni qui per immemoriale tempus Paludi Mæotidi affixi erant; ut Attila orat. ad Hunnos, qua eos ad prælium adversus Romanos ineundum exhortatur, indicat. *Quis deniq; Mæotidarum iter aperiret majoribus nostris tot seculis clausum ac secretum?* Jornand. de Reb. Get. cap. 39. fortè fortuna cervi ductu paludis aquas superarunt, *qui olim aquas illas neq; trajiciebant, neq; trajici posse existimabant &c. cum neq; transmittere tentarent, neque soliciti de trajectu ullo modo essent.* Procop. lib. 4. fragment.

54. Fabulosum hoc videtur Gaspar Ens. Rerum. Vng. lib. 1. *Addunt alii occasionem fabulæ itidem quam historiæ propiorem: venatores quosdam &c.* Mihi hoc factum, veritati dissonum non est, ex autoritate superiorum & exemplo *Carani, qui cum magna multitudine Græcorum, sedes in Macedonia responso oraculi jussus quærere &c. revocatusq; in memoriam oraculi, quo jussus ducibus capris imperium quærere.* Justin. lib. 7. pr. de *Saulo* 1. Samuel. 9. *Dum enim asinas amissas quæreret, pro iis regnum invenit.* Suidæ historica in voce Saul.

55. Et hæc de causis Remotis, quæ simul Hunnorum sunt procreantes & conservantes & Gothorum & Romanorum corrumpentes. Nunc particulariter causæ indagandæ, quæ opponuntur causæ conservanti.

56. Causæ hæ duplices sunt videlicet *Corrumpens & Expellens.*

57. Corrumpens erat *Peccatum* Gothorum & Romanorum. Ob id Autarii Pannonii, Apollinis indignatione in extremam deciderunt cladem. Appianus Alex. de Bello Illyrico De Gothis Jornandes de Rebus Geticis cap. 5. *Bulgarorum sedes, quos notissimos peccatorum nostrorum mala fecêre. Hinc jam Hunni quasi fortissimarum gentium fœcundissimus cespes, in bifariam populorum rabiem pullularunt.* De Europæis Antonius Florent. part 2. tit. 11. cap. 8. pr. *Per Attilam eorum regem judicium Dei se longe lateq; effudit. quem ipsi gladium limatum & exacutum de vagina indignationis super gentes peccatrices distrinxit.*

58. *Expellens*, Fines Cladium vel *Expressi* vel *Occulti.*

59. Expresse *Deus prophetarum oraculis ab Aquilone sæpius minas intentavit: inde bella, clades, exitia Rerumpublicarũ futura prædixit.* Esaiæ cap. 14. vers. 31 & 41 vers. 25. & 49. v. 12. *Hierem.* cap. 6. vers. 1. 22. 23. cap. 13 cap. 15. cap. 10. v. 22. cap. 16. v. 15. 16. &c. cap 23 v. 8. cap. 25. v. 9. 26. cap. 34. cap. 46 v. 6. 20. 24. cap. 47. v. 2 3. cap 50. v. 3. 9. 41. 42 cap 51. *Ezechiel.* cap 48. vers. 1 10. 30. *Daniel* cap. 11. v. 13. 15 &c. *Zachar.* cap. 2. v. 6. *& in lib. Sap.* Bodin de Repub. lib 5. cap 1. pag. 498. Hac ratione Attila se appellari jussit *Flagellum Dei* Thvvrocz. part. 1. cap. 16. Munsterus & Annales Vng *Trechas venit in qua civitate sanct. Lupus erat Episcopus, qui Pontificali habitu decoratus cum suo Clero obviam Attilæ venienti processit. Cumq; coram illo venisset & ad eum fuisset admissus, ait: Tu quis es qui terram dissipas atque conculcas? Cui Attila: ego sum Attila Rex Hunnorum & Flagellum Dei. Ad quam vocem jussit Episcopus portas civitatis aperiri, & ait: Benevenerit Flagellum Dei. Et induxit eos in civitatem &c.* Antonius Florent. part. 2. tit. 11. cap. 8 § 4 ex eo Thvvrocz part 1. cap. 16. *Et cum vidit Romanorum exercitum dilabi, majori severitate intumuit: arbitratusq; amplius Romanos cum illo congredi non audere, dixisse fertur: Stella cadit: tellus tremit. en ego malleus orbis.* Thvvrocz. d. l. Hoc adeò verum est, ut

pronuntiet Busbequius Epist. 4. *At si is sit hostis, qui velut ira Dei immissus (qualis olim Attila, avorum verò nostrorum memoria Demirlanes, nostrâ ætate Principes Ottomani) cui nihil possit obsistere, qui quacunq; incedat, omnia prosternat.* Plura quis cupit? *Circa Augustam civitatem Leel & Bulchu illustres capitanei Hungarorum captivati sunt, & ducti ad Cæsarem Conradum. Quos cum Cæsar requireret, quare Christianis essent sic crudeles, dicunt: Nos sumus ultio summi Dei, ab ipso vobis in flagellum destinati. Tunc enim per vos captivamur & occidimur; cum persequi vos cessamus.* Thvvrocz. part. 2. cap. 25.

60. *Occulti* sæpe cladium fines. *Et exempla hæc ab omni ævo obvia, ubi Deus per improbas aliorum cupidines bonam suam voluntatem exercuit; per aliorum injustitiam, exeruit judicia sua justa. Quare miremur, reconditam hanc sapientiæ vim, non rimemur: & sciamus clades omnes exitu bonas esse, etiamsi cæca mens non videat, aut tarda eò non pertingat. Latent enim nos sæpe veri earum fines: ad quos tamen ignaris nobis pervenient. non aliter quam fluvii quidam, qui erepti oculis & sub terram reconditi, feruntur nihilominus ad suum mare.* Lipsius de Constant. lib. 2. cap 7. Et verba quæ
,, præcedunt. Quid enim magis vim ejus exprimat, quam quod non vin-
,, cat solum obluctantes sibi hostes, sed ita vincat ut ad se traducat, & sua
,, castra? ut pro ipso militent? ut arma pro victoria ejus ferant? Quod e-
,, venit cottidie, cum in malis Dei voluntas fit, etsi non à malis: cum ea
,, quæ contra voluntatem ejus improbi faciunt, ita flectit, ut non fiant
,, tamen præter ejus voluntatem. Et quod potest insignius miraculum,
,, *quam ut malos mali bonos faciant?* (Severini Boëthi verba sunt de Con-
,, solat.) Ecce, ades paullùm tu C. Cæsar, abi, & duo sancta nomina simul
,, conculca, Patriam, Generumque. Ambitio hæc tua, te ignaro, Deo
,, serviet: imò patriæ serviet, contra quam sumpta. Reparatio enim erit
,, Salusque Romani status. *Tu Attila ab extremo orbe advola, sitiens san-*
,, *guinis & prædæ. rape, cæde, ure, vasta. Sævitia hæc Deo militabit: nec aliud*
,, *quam exercitio Christianorum erit, qui vitiis & delitiis immersi nimis aut*
,, *sepulti.* Quid vos duo Vespasiani? Judæam Judæosque perdite: capite
,, & excidite urbem sacram. qua fini? vos quidem gloriæ & propagandi
,, imperii: sed erratis, revera lictores & satellites ultionis divinæ estis, in
,, impiam gentem. Lipsius d. l. Sed exemplum Attilæ potius ad causam expressam est referendum dicto ipsius.

61. Atque hæ *Remotæ* Causæ; Venio ad *Propinquas*.

62. *Propinquæ* causæ Efficientes, ut quæ effectui erant, & sunt adhuc hodiè propiores, sunt Hungarorum, *Aborigines Hunni*. Com. Pet. à Revva Comment. de Coronâ Hung.

63. Ne vero in his *disquisitio* confusa & vaga sit, sed distinctior, & pluribus partibus constet; *Duplicem* faciemus hanc *Causam Propinquam*: nempè *Verbalem & Realem*.

64. *Verbalem* propter seriem personarum, imò rerum lucem, considerabimus in *Nominis origine*, duobus modis; *Logicè* & *Historicè*.

65. *Logicè*, forma vocis, juxta significationes puras, ubi tria sunt perpendenda. *Synonymia, Etymologia, & Homonymia*.

66. *Synonymia*, in Personarum Hunnorum cognitionem nos deducit, ne multitudo *Nominum* errorem gignat.

67. Sunt autem nomina *Generalia & Specialia*.

68. Communiter *versus Septentrionem gentes uno prius nomine omnes vel Scythæ vel Nomades (ut ab Homero) appellabantur, ac postea temporis cognitis regionibus occiduis &c. mixto nomine &c. dici cæperunt, cum prius ob ignorantiam singulæ gentes uno omnes nomine afficerentur,* Strabo Geograph. lib. 1. & Procopius de Nationibus, qui in mediterraneis locis, & ad maris littora habitabant ad Mæotim usque paludem & Tanaim fluvium: *communi vocabulo Scythicæ nominabantur nationes eæ omnes quæ loca ea incolebant.* lib. 4. Belli Goth. fragment. ex descript. Pont. Euxini. Idem d. l. *Scythæ & Tauri totam occupant eam regionem quæ Lacinia Taurica hodièq; dicitur &c. Præterea Scythæ ajunt tum regioni id nomen fuisse, tum etiam Scythas vocari eos omnes qui ea loca habitant.* Sic Hunnos frequenter à Patria, solummodo *Scythas* vocat Priscus Rhetor. quod Excerpt. ex Hist. passim indicant. Sic Theophylact. Simocat. de Legat. Roman. ad Gentes. 2. *Vir erat natione Scytha, Bolocabra nomine &c. profugit ad antiquam à qua ortus erat gentem. Hunni ea sunt.* Sic Hungari à Patrio solo primo, *Scythæ* sunt. Falluntur ergò illi, qui ex interpretatione nominis *Scytharum*, quæ est Germanis Schieten/ Schiessen/ aut Schyssen/ affirmare non erubescunt, Scythas omnes Germanos fuisse, quibus etiam Sclavinorum, Hunno-Ungarorum & Tartarorum Lingua, à Germanorum nimis aliena, obloquitur. Nec migrationes variarum Gentium ex Scythia aliter docuerunt.

69. Nomina Specialia *antiqua & Hodierna*.

70. Hunno-Vngari antiquitus nominabantur. *Scythæ Regii.* Zosimus Hist. lib 4. de Hunnis. *Eos adpellabant Hunnos, sive adeò Regii Scythæ nuncupandi sunt, sive quos ait Herodotus Istri adcolas esse &c.* Nomini huic assimulat hoc Hungarorum de Hunnis, *Azrégi Magyaroc*, hoc est, Prisci Hunni.

71. Nomades. Procop. de Bello Persico lib. 1. *Hunni Nomades sunt. vitam agentes pastoralem*, quod de Moribus dicam.

72. Cimmerii. *Olim ingens Hunnorum, qui Cimmerii tunc dicebantur*

bantur Procop. Belli Goth. lib. 4. fragment. ex descript. Pont. Eux. Idem Herodotus lib. 4. cap. 11. *Fertur & alius sermo ita habens, cui ipse præcipue assentior: Scythas pecuarios,* (id est Nomades) *qui Asiam incolunt, quum a Massagetis bello vexarentur, Araxe transmisso, in Cimmeriam abiisse, nam regio quam nunc Scythæ incolunt, ea fertur olim fuisse Cimmeriorum* Germanorum. *Nam Homerus* (Odyss. lib 11. v. 14.) *Cimmerios eos vocat: Herodotus verò, Perficæ Historiæ autor, Scythas diversos:* (lib. 4 supra d.) *Plutarchus Chæroneus,* (in Marone) *Cimbros & Teuthones.* Niceph. Gregoras lib. 2. cap. 7.

73. Nebri. *Sunt autem Hunni isti quos veteres Nebros appellarunt.* Niceph. Callistes. Hist. Eccles. lib. 11. cap. 48.

74. Saberi. *Hunni, qui Saberi vocabantur* callistes. lib. 6 cap. 26. & lib. 18. cap. 30. Procop. Belli Pers. lib. 1. *Aviri* Jornandi de Reb. Get. cap. 5. *Vdir.* Callist. lib. 18. cap. 30. scribit *Var, Simocat. lib. 7. Hist.* pro *Vdir.* habet quæ gēs antea *Sogor* dicta Callistes d. l. Fortè *Soroſgi* illi, de quib. Prisci Excerpt. ex Hist. Goth. *Attila & Bleda ad subigendas gentes Scythicas profecti sunt, & contra Soroſgos bellum communibus opibus & viribus moverunt.*

75. Attacori & Thyri. *Ab Attacoris gentes Thyri.* Plin. Hist. Natur. lib. 6. cap. 17. *Hunnos Acathuros* vocat Priscus, Excerpt. ex Hist. pag. 70. & 73. vel *Acatziros.* Excerpt. ex Hist. Goth. pag. 98. *Hunni Acatiri* sunt apud Suidam in verbo Abares, sed ἀκάτζιροι, est in codice Græco. Abraham. Ortelius Thesauro Geograph. in verbo Hunni. Agaziri Jornand. de Rebus Get. cap. 5. *gens Agazirorum fortissima.* Pall. codd. scripti, *gens Agatzirorum.* Gruterus not. in Jornand.

76. *Hinc jam Hunni,* Jornand d. l. Clarum itaque Attacoros apud Plinium supra d. l. Hunnos fuisse, à quibus Thyri, id est, Hunni sunt, *Thynni* habet Hermolaus Barbarus Castigat. in Plin. d. l. ut & Priscianus Perieget.

Hinc Thynnus sequitur. &c.

Fr. Lindenbrogius observat. in lib. 31. cap. 23. Ammiani Marcell. Non tamen illi Thyni per n. simplex, de quibus scribit Plinius lib. 4. cap. 11. & lib. 5. cap. 23. & Ortelius Thesaur. Geograph in Voce Thyni. *Thunni* Vadianus, Epitome de Tribus Terræ part. *Vnnos licet memorare, quorum inter Scythicas gentes etiam Plinius meminit lib. 6. quanquam Thunnos eos nominat.* ὖννοι ἢ θυννοι, hoc est, *Hunni* aut *Thunni.* Eustat. not. in Dionys. Poet. Lindenbrog. d. l. Dionysius tamen Poeta v 730. dixit ὖννοι id est, *Hunni.* Lindenbrog. d. l. Idem Ammianus Marcellinus lib 31. Priscus Rhethor in Excerpt. Hist. Sidonius Apollinaris, & Jornandes de Rebus Geticis, & de Regnorum ac Temporum successione passim. Ex his omnes Novitii Historici *Hunnorum* nomen acceperunt.

77. Reperitur etiam scriptum per Prostheſin lit. Græcam χ. & latinam C. Vt apud Ptolemæum Geograph. lib 3. cap. 5. dè Sarmatia in Europa. Χαυνοι; id est *chuni.* uti & apud Marcellin. lib. d. cap 23 *adacti necessitate postrema Chunorum.* Lindenbrogius hoc loco scribit. *Nihil variant veteres libb. Et Chunos vocat, quos alii Hunnos. &c. Neq; de fide ejus lectionis dubitandum est.* Ita & efferunt Theophylact. Simocat. lib. 7. Hrit. *Sidonius Apollinar. Carm 7. v. 241.*

Cursu Herulus, Chunus jaculis ——

& vers. 324. *Chunus, Bellonatus &c.* ——

Niceph. Callistes lib. 18. cap. 30. *Cunni nominarunt.*

78. Turcæ. Simocat. de Legatis Romanorum ad Gentes 2. à Persis Turcas vocari tradit *Hunni ea sunt, habitantes orientem, ubi Vicinus est Persis, quos Turcas etiam nominari pluribus constat.* & ex hoc Eustath. in Dionys. Poet. notat. ex quo Hermolaus Barbarus Castigat. in Plin. lib. 6. cap. 7. & 17. ac ex isto Ortelius Thesaur. Geograph. in Verbo *Vnni.* quos Lazius ex Jornande in descript. Scythicorum populorum eduxisse secum ex Scythia scribit & *Thurcos* vocat. Chorograph. Beschr. deß Königr. Hunger. cap. de Avaris & Hungaris Versio Gruteri Turcas habet, Turcos vult Hermolaus d. l. *Nunc illud levissime attigero, Turciorum familiam cognomentumve apud Romanos fuisse docet id elogium Romæ, cujus præfatio hæc est: Ex authoritate Turci Aproniani præfecti urbis. Quare autem Turcium, non Turcum vocatum hunc existimem, facit aliud epigramma versibus scriptum hoc titulo: Turcius, Rusius, Apronianus, Asterius.* Non autem eadem illi Turci cum Hodiernis, quos discordia nostra magnos fecit, ut putat Hermolaus. d. l cap. 7. & ex Lazio aliter constat. Nam *id fere populis omnibus accidit, ut aliter à peregrinis quam à suis nominarentur. Itali à Græcis Hesperii, Hellenes à Latinis Græci, Libyes à Græcis Afri: cum tamen neq; Itali Hesperiorum neq; Hellenes, Græcorum, nec Libyes Afrorum nomen usurparunt. consimiliter Scoti Anglos appellant Saxonas: ita quoque hi quos Turcas appellamus, ab hac appellatione vehementer abhorrent, & Sarraceni vox in Asia & Africa, inaudita est.* Bodinus Method. Hist. cap. 9. Idem de Scythis scribit Niceph. *Nam propriam suam appellationem, ipsi utique sua lingua norunt. Qui verò Græcis nominibus eos appellant, alias aliter, suo quique arbitratu, illos vocant.* lib. 2. cap. 7. Ex his colligere possumus supra dicta cognomina Hunnorum non ab Hunnis, sed peregrinis conficta esse, ut in quibus nullum vestigium Hungaricæ linguæ apparet.

79. Secundum temporis autem vicissitudinem & migrationes ab iis

ab iis factas multifariè *omnes & Scythæ & Hunni vocitabantur, seorsum tamen & per generationes. Nam partim Cotriguri appellantur*, Agathias lib.5. *Cutriguri.* Procop. lib. 4. Belli Goth. fragment. In Excerpt. ex Menandro de Abaris legitur *Controguorum, qui dicebantur Hunni.* Idem in Excerpt. x Hist. scribit. *Ovuttigoris & Contigoris* de illis Hunnis, qui pecunias à Justiniano accipere soliti fuerunt. Inconstantia interpretis, an incuria descriptoris, quandoq; vocantur *Cotrogneri & Otteguouri, Cotrogori & Ottrogori* apud prædictum autorem. & in orat. 8. scribit: *Outrogorum præerat* Idem in Excerpt. ex Hist. de Abaris nominat *Ongoros Eitasalos Hunnicam gentem*, & eadem Hist. Hugoroas; *Attilam, inde ad Hugoroas. Hunni qui & Onoguri dicebantur* Agathiæ lib. 3. *Cattiguri*, Lazio ex Jornande in descript. Scythicorum Populorum. Chorographi. Beschr. deß Königr. Hungern. cap. de Avaris.

80. *Partim Vltizuri* Agathias d. l. *Aulziagri* Jornandes de Rebus Get. cap. 5. Codd. Pall. *juxta Chersonem Alziagri*; nisi quod tamen alter Pall. *Vltziagri.* Grut. in not. ibidem. Lazius d. l. cap. de Avaris, & cap. de Hungaris *Vlciaguri.*

81 *Partim Burgundi partim aliás utcunque patrium illis est gentibus & consuetum denominari.* Agathias d. l. Vt Hunugari, Jornand d. l. Hunugari autem hinc sunt noti. &c. Pall. Codd. script. *Hunuguri.* Gruterus in Jornand. Ex Jornand. descript. Scythic. Popul. Lazius cap. de Avaris *Hunigari* scribit qui ab Attila ex Scythia educti sunt in Pannoniam, Chorograph. Beschreib. deß Königr. Hung. Idem. cap. de Hungaris neben den Hunnis ob den porten Caspias, geheissen / haben / gewonet etlich völcker von Gog vnnd Magog herkümen als nemblich / *Avares, Hungari, Vngri, Vlciaguri, Magori* vnd *Turci. &c.* Hinc Zonaras tom. 3. scribit. *Turcos Istrum accolentes, qui & Vngri vocantur* pag. 142. 28. & 155. 55. 194. ex eo Ortelius Thesaur. Geograph. in Verbo Vngari. Idem scribit Liuthprand. lib. 2. cap. 2. addi disquisit. 78. *Vgri* habet Pompon. Lætus, lib. 2. Hist. Rom. & Aventin. in Annalib. Bojorum *Saraguri, Vrogi & Hunoguri &c ad citeriorem oram maris Oceani habitantes.* Sunt Prisco Rhetori Excerpt. ex Hist.

82. Hunnicam quoque nationem fuisse scribit Jornandes: *Vlzingures, Angisciros, Bitugores, Bardores.* de Rebus Get. cap. 53. & cap. 50. de contentione inter filios Attilæ post mortem ejus: *multiq; Hunnorum passim proruentes tunc se in Romaniam dederunt. Equibus nunc usq; Sacromantisii & Tosatisii dicuntur*: & Lumbardi in Italia. Aeneas Silvius de Hungaris: *Ex se quoq; emiserunt qui omnem illam Italiæ partem (quæ olim Gallia Transalpina vocata est, hodie verò ab ipsis Hungaris longas barbas ferentibus Lumbardia dicitur) occuparent.* Epistola ad Dyonisium Archiepi-

chiepiscopum Strigonienſem. Siculi in Transylvania; *ipsorum autem vocabulo Zekel.* Thvvrocz part. 1. cap. ult.

83. Tempore Justiniani, Avares vocati fuere. *Avares qui primum Hunni, postea Avares appellati sunt.* Warenfrid. Langopard. lib. 1. cap. 27. Simocat. Hist. lib. 7. *Pseudabares* sunt Callisto lib. 18. cap. 30. *à Græcis Abiri & Abares vocantur.* Lazius Chorograph. Beschr. deß Königr. Hungern. cap. de Avaris. Ita Græcus autor Menander, Abares passim scribit. A Romanis: *Abares & Nomades & Adveni* Excerpt. Menãdri de Legat. Justini ad Persas. Ovarchonitæ à Turcis. Turcorum dux Truxanthus ad Tiberii 11. Legatum. *Ovarchonitarum, qui à nostris servis, eorum dominis, (inditabat autem Abaros) defectionem moliti sunt.* Excerpt. Menandri ex orat. 8. *Hunni & Avares* nominantur in Vita & Annalibus Caroli Magni, descripti ab Eginhardo & à Reginone Chronic. lib. 1. Apud Corippum sunt *Avar* in singulari per Apocopen. Ortelius Thesaur. Geograph. in verbo Abares. & Simocat. lib. 7. Hist. per Aphæresin *Var*; & Callistum per Antithesin *Vdir.* supra d. l. disquist. Sed usitatius est Nomen Avares Latinis & Germanicis scriptoribus.

84. Quapropter, ex jam dictis, *Vnni*, Hunni *& Avares iidem sunt Witichindo & Eginharto, cum* Hungaris *hodiè. Hungaros, Vgros & Magores quoq; appellat idem.* Ortelius Thesaur. Geograph. in verbo Vnni. Etiam Aventinus lib. 1. & 4. Annal. Bojorum: *Vgri qui ipsorum lingua Mægari vocantur.* Nobis *Vulgariter Magyari sive* Hunni; *latine verò* Hungari. Thvvrocz. part 2. cap. 1.

55. *Etymologia sive Notatio* sequitur circa Nomen, in *Scribendo & Interpretando.*

86. Quam variè Scribebatur Hunnorum nomen, jam dictum est; quomodo verò scribendum sit, nunc indicandum. Eustath. Notat. in Dionys. Poet. vers. 730. inquit: *Maximè verò assentiendum est iis qui scribunt Vnni sine th autore Dionysio Poeta, qui ait:*

Vnni autem deinceps &c.

Scribitur in Historia Vniversali Simocati, Vnnos qui sunt ad Septentrionem orientales, quos Persæ &c. quem sequitur Hermolaus Barbarus Castigat. in Plin. lib. 6. cap. 17. & hunc Joachimus Vadianus in Epitome Trium Terræ Partium. Ast hoc forsan, à Dionysio, Simocate, & Eustathio. scriptum per Aphæresin ablato H. quod non est litera Græcis sed tantum aspiratio. Quam scriptionem, nequaquam probat Idioma Vngaricum. Nam H, litera usitata Hungaris, & *fortiùs & sonantiùs efferunt quam Itali vel Galli.* Albertus Molnar Grammat. Vngar. lib. 1. cap. 1. Tum & frequentius est Hunnorum nomen apud Historicos, quam Vnnorum. Veluti Lindenbrogius Observat. in Ammian. Marcellin.

cellin. lib. 31 cap. 23. pro ὖννοι ex Dionys. Poet. d. l. scribit ὖννοι. Gruterusque in Versione Latina Simocati pro ὖννοι, *Hunni* reposuit. Neqs etiam illi probandi sunt, qui scribunt *Huni* per n. simplex, autoritate præcedentium. Idem dicendum esset de Nomine *Hungarorum*; sed cum jam eò deventum sit, ut prævaleat multitudo tam Hungarica quam Peregrina, quæ modò per Prosthesin, hoc est, appositionem H; modò, per Ahæresin, id est, ablationem H. scribant; malo hanc in errore sectari quam cum ratione reluctari, maximè ne novator audiam. *Rebus enim ex debito, verbis ex usus utimur beneficio*, inquit, Waremund ab Ehrenberg lib. 1. de Fæder. c. 1. n. 15. Reinking de Regim. Seculari & Ecclesiast. lib. 1. classi. 1. cap. 1. n. 2. Ergò, *non de nomine, sed de re contendendum est. Voca panem, si placeat, lapidem: & da mihi dum famesco* Æneas Sylvius in Epistola ad Gasparum Schlick.

87. Bodinus interpretatur nomen *Scythæ, percussores*; *à Chetim Iapheti filio: sic enim verior est etymologia, quam quæ est à Melanchtone* (lib. 3. Chronic. Carion.) *de Macedonibus allata, quos Macethiin vocat.* Method. Hist. cap. 9.

88. De *Hunnis* sive *Chunis* Philippus Melanchton. lib. 3. d. l. *Sonus vocabuli certè congruit cum verbo Chana, quod est castra posuit. Inde potest esse Hunni, quasi castra ponentes.* Quod Hebræum esse me docuit Clarissimus ille Polyhistor & Polyglottus D. Caspar Simonides Francus & חָנָה, hoc est; *Chanah*, significare, *castra metari, obsidere, in tentoriis habitare.* Sic מַחֲנוֹת, id est, *Machanoth: castra, item tentorium.* Inde חֲנוּת, id est; *Canuth: mansiuncula, hospitiolum.* Sicut & Græcum Κόναβος, *sonitus strepitus.* Κόνιω, *festino, propero, curo, operor.* Κόνις, *pulvis, labor*; & latinum, *conor conatus.* Hæc ille.

89. *Avares Hamaxobii*, dicuntur ut putat Evagrius Ortelius Thesaur. Geograph. in verbo Abares & Scythæ. quasi die Fahrer oder Wagenfarer. die Obern putat D. Caspar Simonides. Sed ex Vngarica Lingua defluxisse, agnosci potest, *Notatione* & *Originatione.* Notatio restat in vocis *Significatione* & *Terminatione. Significat* autem *Vár*, idem quod Arx, *Var* sine accentu, Porrigo Ophiasis *Váras* Civitas, *Várás* duobus accentibus, Expectatio, Prestolatio, *Varas* sine accentibus, Pustulosus, Vlcerosus. Nam maribus ferro genas secabant &c. ut in Moribus dicam. *Avarom*, Immisceo me; *Abárlas*, Agitatio, Commixtio, *Resz*, Pars. Etenim *Hunni & Avares mixti fuerunt, qui post centum annos redierunt in Pannoniam* Chronic. Carionis lib. 3. *Terminatione* agnoscitur ex Consonantibus, quia lingua nostra *in consonas frequens est*, ut tradit Albertus Molnar in Grammat. Vng. lib. 1. cap. 5. *Originatione*, nominis origo disqui-

disquiritur, ex voce orta *Simplici* vel *Composita.* Simplex à *Var* ut supra dixi de hoc nomine. *Composita* esse potest ex simplicibus *Vár*, *Var* & *Rész*, apposita litera A, per Prosthesin. vel ex derivato *Avarom* & *Rész*, elidendo per Syncopen de medio Syllabam, rom; quæ elisio *Avares* efficit. Aut *Abarlas* per Antithesin, permutando literas pro literis. scil. pro b. v. pro l. a, e.

90. Nomina *Magyar, Hungar* & *Vgr*, Hungarica vocabula esse; quæ Latinis idem sunt, quod *Vngarus, Hungarus, Hunnus, Panno, Pannonius*, idemque cum supra dictis Nominibus: Germanis; Haun Hunger/ Vnger/ Sclavonis Vher &c. expressa Hungaricæ linguæ vestigia satis indicant. Vtpote, *Major*; Prædium, Villa, Colonia; *Majori*; Colonus, villicus; *Majori*: Prædiatorius, Villaris, Villaticus; Indè *Majorhaz*: Allodium. vel *Mag*: Semen, Sperma; *Magi*: Seminalis; ac *Maga, Magad, Magam*: Ipsemet, Tumet, Egomet; à quibus Composita, *Magabizott*: Confidens, Temerarius, Audax, & *Magasztalom*: Magnifico, Exalto, Sublimo. Item *Ara*: Sororis frater. Insuper, *Gyars* ac *Gyors*: Celer, Agilis, Alacer, Citus, Impiger, Præpes, Properus, Strenuus, Vegetus, Velox; Hinc *Gyarratni, Gyartáni*: Facere, Operari; Conficere, Elaborare; *Gyarapodas*: Incrementum, Decrementum. Vel *Járás*: Ambulatio, Meatus, Incessus, Gradus, Gressus; & *Járo*: Ambulator, Meabilis &c. à quibus derivationes *Iargalás* & *Iargallás*: Grassatio, discursio; *Iargalloc*: Grassor: Curso, Equito; vel *Nyargallás* Equitatio, Discursio; *Nyargalloc*: Equito, discuro. Etiam *Hól, Hón, Hun*: ubi? *Hon* sine accentu, Domi; à quo *Honnyába*: domi suæ. Tum *Vgrás*: Saltus, *Vgró*: Saltans, Prosiliens, *Vgrom*: Salto.

91. Quocirca, non peccabit sive quis dicat Nomen *Magyar*, derivatum esse à *Major* per Epenthesin, interposita litera g, & Antithesin literæ y & a, pro j. & o. Latine significat. in *Prædiis habitans.* Explicationem hujus infra in *Causa Materiali* dabimus, sicuti & cæterorum confirmationem. Sive compositum, à *Mag* & *Gyars*, elidendo in medio per Syncopen G, & in fine per Apocopen, s. quod significat, *ex Prosapia Strenuorum, Properorum*, & sic consequenter. Sive à *Mag* & *Járás*, per Antithesin, posita litera Y, pro j, sicut in Derivationibus *Nyargallás*, pro *Iargallás*; & Apocopen, auferendo in fine literas, a, s; quod significat, ex *Prosapia* sive *Semine Vagabundorum, Equitum*; & sic deinceps secudum Proprias & Derivativas voces. Vel à *Magi* & *Ara*, itidem per Antithesin & Apocopen, quod efficit *Seminales ex Agnatis vel Cognatis Hunnorum.* Nam Fratres, in Jure nostro Consuetudinario, quandoque pro Agnatis sumuntur ut part. 1. tit. 47. cujus explicatio peti debet ex part. d. tit. 117. Ita etiam verba horum titulorum de fratribus capit Mel-

chior Goldastus de Majoratu sive Senior lib. 2. cap. 23. §. 5. Militat hæc interpretatio pro illis, qui discretam gentem Hungaros ab Hunnis faciunt. Huc referri debet, quæ dicit Bonfinius dec. 1. lib. 2. *Quare Vngaros Vnnis per Asiaticam Scythiam effusis, & adhuc Tanais ortum accolentibus, cognatos esse credendum est.* Sed hæc in origine Hunnorum disquiremus.

92. Nomen *Hungar*, à Germanicis dictionibus conflatam esse, imposuerunt mihi verba germanica Haun/ & Gar/ Nam Gar *veteres Germani dicebant quod nos* Gar / *id est, totum, prorsus, planè.* Daniel Otto Jur. Public. cap 6. Indè esset *Hungar*: totus &c. Hunnus; Hunger; Gar Haun/Eigentlicher Haun. Sed quid foris peto, quod domi affatim habeo? Hungar ut Thuurocz scripsit supra d. disquisit. 84. non est latinum, sed purum Hungaricum, *quod latine significat Strenuum*, Petrus Ransanus Epitome Rerum Hung. Indice 7. Compositum ergò erit à Pronomine *Hón, Hól, Hun?* vel à Nomine *Hon & Gyars*, per Antithesin in prima Syllaba literæ u, pro, o, & Syncopen elidendo in medio v. & in fine per Apocopen literam, s. Unde ex interpretatione sequeretur. *Domi suæ strenui defensores, contra quosvis Hostiles dracones,* Seu à *Hon & Iáro*, iterum per Syncopen, Antithesin, & Apocopen, quod latinis facit, *Domi suæ inambulator.* Nempè, quia fixam sedem hodiè in Pannonia obtinent, nec amplius tam vagi sunt ut primi Hungari sive progenitores Hunni.

93. Nomen *Vgr* seu *Vgri* de quibus in disquisit. *81.* ab *Vgró*, haud absurdè derivari posse colligo ex interpretatione *Prosiliens*, id est ex suâ terra, natali solo, Regione &c. alienam invadens. Nam omnem hanc explicationem vocum Hungaricarum in Nominibus his, re ipsâ Hunnis & Hungaris convenire ad verbum, ac non dicam proprium quasi attributum esse, infra Mores illorum alternatim docebunt.

94. Coronidis loco indicandum duxi Metaplasmos in Literarum & Syllabarum transformatione receptos esse in Lingua Hungarica, plurima Exempla suppeditat Grammat. Alberti Molnari lib. 1. cap. 3. & 4.

95. *Homonymia* sive *æquivocatio* est in Cognomine *Hunni Euthalitæ*, de quibus Procopius de Bello Persico lib. 1. scribit. *Sunt enim Euthalitæ Hunnicum genus reliquis Hunnis nequaquam vicini, neque ad eos pertinentes, sed Persis Propinqui Boream versus, quorum civitas Gorga nomine in Persidis confinibus sæpe cum colonis de ipsis finibus pugnat. Nec ut reliqui* Hunni *Nomades sunt vitam agentes pastoralem, sed optimam jam pridem incolunt regionem. Hi nunquam in Romæorum terram, nisi cum Persarum exercitu sunt ingressi, soliq; Hunnorum albi sunt, neq; item fædi ad spectu, neq;*

neq; ferarum modo, ut illi victitantes; sed sub uno degentes Principe politicam agunt vitam inter se, & cum vicinis jus fasq; colunt, æq; ac Romani & alii omnes. Quos *Neptalitas* esse per Aphæresin unius literæ, probat Wilhelmus Schikardus V. C. Comment in Tarich. h. e. Seriem Regum Persiæ, pag. 131. m. Niceph Callistes proculdubio de his loquitur Hist. lib. 18. cap. 30. *Chaganus, qui in oriente à Turcis laudibus &c. Abdelarum (alius autem Ephtalitarum dixerit.)* Idem Simocat. habet. lib. 7. Hist. Hac occasione hic notandum, hos esse illos Hunnos qui à Persis Turci nominantur, quod indicatum supra disquisit. 78. De his Hunnis quoque scribit ThWrocz. ex Chronico, quod à quodam Anonymo Hungaro tempore Karoli & Ludovici l. scriptum, qui ex cap. 10. Genes. Originem Hunnorum demonstrare conatus est. *Dicitur etiam, quod idem Nemroth plures, præter Enech, uxores habuisset, ex quibus præter Hunnor & Magor plures filios procreasset: hi & eorundem posteritates Persidem regionem inhabitarent: statura & colore similes* Hunnis, *tantummodo in loquela, velut Saxones & Turingi, modicum differentes.* Chronic. Hung. part. 1. cap. 2. Errore ìtaque notandus est Bonfinius, quod Hunnos & Hungaros ab Ephtalitis esse scribit dec. 1. lib 1. & 2. Idem forsan erunt Hunni *Cidarites*, qui etiam Urbes incolunt & vicini sunt Persarum; de quibus repleta sunt Excerpta ex Prisci Rhetoris Hist.

96. *Origo Historica* jam indaganda, quæ est potius in Personis quam Rebus. *Dicuntur autem appellati Scythæ, vel à coriis quibus vestiuntur,* (unde & Scuta) *vel ab Irascendo, sunt enim ad iram proclives, vel à Scytha filio* Herculis. Eustath. notat. in Dionys. Poet. vers. 730. Herodotus autor quoque est lib. 4. cap. 10. Græcos qui habitant in Ponto hæc de Scytha filio Herculis referre. Et Scythæ de seipsis, Herodot. lib. d. cap. 7. *Omnibus autem nomen esse Scolotis, Regis cognomen, sed Scythas Græci appellavere.*

97. De Scythis Regiis Herodot. d. lib. cap. 20. *Trans Gerrhũ autem sunt ea quæ vocantur Regia, & Scythæ optimi pariter & plurimi, & qui suos servos esse cæteros Scythas arbitrantur.*

98. Cimmerorum verò cognomen à situ loci esse ex Herodoto conjici potest supra disquis. 72. & ex his Procopii verbis: Hunnorum, *qui Cimmerii tunc dicebantur, multitudo ea quæ dixi loca inhabitabant.* Fragment. supra d. l. Reliqua Cognomina antiqua minus usitata & trita pro lubitu à peregrinis scriptoribus conficta esse, supra ex disquisit. 78. claret.

99. Per vicissitudinem verò temporis & migrationum, patrio more varia à Tribu & Generatione nomina sortiti sunt, quæ supra disquisit. 79. & seq. exhibent. Sic Cutrigurum & Utigurum cognomen à duci-

ducibus sunt: Nam *Cimmeriis Princeps unus præerat. Contigit autem olim quendam ex iis duos habere filios, alterum Vturgur nomine, alterum Cutrigur qui post parentis mortem imperio inter se diviso, cognomen suum populis subjectis quiq; tribuerunt.*

100. Hunni cognominati *non à patria, cum nulla sit ibi regio, quæ nominatur* Hunnia, *sed ab illorum duce, qui* Hunnus *vocatus est.* Ranſan. Indice. 4. Idem Aventinus 1. Annal Bojorum ſed Germani Herculis filium fuiſſe, der Haun/ Jodocus Willichii Com̃ in Cornel. Tacit. Germ. Aventin. Vnde argumentatur Hunnos Germanos fuiſſe. Quod nũ verũ ſit ex origine & moribus palam fiet. Manifeſtè Scalichius contra fidem Hiſtoricam agit, hoc comento: *Eſt porrò Hun fluvius ſatis amplus,* (in Croatia) *unde & Hunni, quòd penès Hun fluvium primo conſedissent, nuncupati ſunt.* in Genealogia Antiquiſſima de Scalichiorum origine Sed verius eſt, fluvium hunc ab illis & non illos ab hoc nuncupatos eſſe, cum ibi prima vice non conſedissent, & adhuc loca ſuperſint tam extra quam in Hungaria, quæ Hunnorum Nomen retinent. In Italiæ urbe Mantua, *Vngari locus vocatur, ad perpetuam rei memoriam, quod Vngari aliquando urbem everterint.* Paulus Merula Coſmograph. part. 2. lib. 4. cap. 35. Et *in ripa danubii, &c. quod nunc aliò ad tertium lapidem fermè translatum:* Hauſtorf, *Abynrdorf, regiæ & pagi, ab* Hunnis *& Abaris cognomina ſervant.* Lazius de Migrat. Gent. lib. 7. *Auxiliares* Hunnorum *cohortes in confinio ſuperioris inferiorisq; Bojariæ, non longe à Moſpurgo ſuper Landeshutam urbem ubi oſtia Iſaræ & Senonis ſunt, Iſaram tranſeunt, locum caſtris capiunt, ſeq; curris ac rhedis more Germanorum circumſepiunt. Villæ ibi adhuc* Hunnovangiones, *hoc eſt* Hunnorum currus nuncupantur. Lazius d. l. Item *inter Tranum Oenumq; amnes, Regio adhuc ibi* Hunnorum *(quod* Hunnorum *ſubſidium valet) appellari ſolet, vulgo per Syncopen* Hunſruck. Lazius d. l. Aventin. lib 3 Annal. Bojorum, Bilibald. Pirckheymer deſcript. German. And. Althamer Comment. in German. Taciti. Ac in confinio Auſtriæ & Hungariæ *Humburg, quod deſignat caſtellum* Hunnorum. *In hoc loco remanſit Hunnæ gentis nomen: quod olim fuerat terrori univerſi orbis terræ nationibus.* Ranſanus Epitom. Rerum Hung Indice. 3. In Hungariæ *montibus prope Marmaciam Vngenſis eſt* (comitatus) *qui ab Vnnis Vngarisve denominationem accepit.* Bonfin. dec. 1 lib. 1 *Huc ſpectat &* Hunia *oppidum loci natura munitiſimum. Tranſylvaniam ab inferiori Pannonia diſtinguens,* &c. Paulus Scalichius In Genealogia de Antiquiſſima Scaligiorũ origine. & locus Hunnivar in *partibus Scythiæ quas danubii amnis fluenta prætermeant.* Jornand. de Rebus Get. cap. 51.

101. Avares, *qui primum* Hunni, *poſtea de Regis Proprii nomine Avares Appellati ſunt.* Warenfrid. Longopard. lib. 1. cap. 27. Aliter Niceph. Calliſtes Hiſt. lib 18. cap. 30. *Chaganus qui in oriente à Turcis laudibus celebratur &c. Stemeiſchagano ſocio ſibi belli aſcito, Abarum quoque nationem ditioni ſuæ ſubegit, non eorum Abarum qui in Europa & Pannoniæ ſedes cæperunt, falsò namq; ſibi iſti nomen id uſurparunt, quum ante Mauricii tempora eò advenissent. &c. Chaganus porro gentem quoque Sogoragreſſus ſubegit robuſtiſſimam & populoſiſſimam. Hæc ad amnem Tel accolit, quem Turci Nigrum & antiquiſsimi principes Vdir & Cunni nominarunt: à quibus nominibus quædam etiam gentes appellationem ſunt ſortitæ. Porro Iuſtiniano imperante ex antiquis ejus gentis optimatibus, pars quædam profugiens, in Europam venit. Hi Abares ſeipſos cognominarunt, ducemq; ſuum Chagani cognomento exornarunt. Sed enim populi* Hunnici Braſilt & Vnigurs & Saberi, *ubi partem gentis Vdir & Cunni appropinquare ſibi videntur in timorem maximum inciderunt: Abares illos formidatos, in regionem eam veniſſe rati: eamq; ob cauſam muneribus eos invitarunt, & per ipſos Albania potiti ſunt. Et fugitivi ipſi animadvertentes commodam ſibi eam appellationem eſſe, Abares deinceps ſeipſos nominarunt &c. Ad hodiernum ſane usq; diem Pſeudabares iſti generis ortu diviſi, partim ab Vdir, partim à Cunni appellationem habent.* hæc ille. Idem Simocat. lib. 7. Hiſt.

102. Nominum *Magyar* & *Hungar*; Origo Hiſtorica, variè à variis autoribus deducitur. In Chron. Carionis ſcriptum eſt lib 4. *Ab* Hunnorum *& Avarum progenie ſunt* Hungari, *ſicut ex utriusq; & nomen factum eſt.* Idem Galeot. Mart. de Dict. & Fact. Matthiæ Regis cap 26. Sabellicus Enead. 8. lib. 5. And. Althamer Comment. in German. Taciti. Sabelicus d. l. lib. 1. *Ab* Hunnis *& Garis, qui cum ea gente militaſſe dicuntur &c.* Hungaria *dicta.* Philipp. Chronic. Carion. lib. 3. *Nomen Vngari uſurpari cæpit compoſitum ex* Hunnis *& Iura.* Idem ex Sigiſmund. Baro. ab Herberſtein Comment. Moſcovit. Wernherus de Admirand. Hung. Aquis. Ranſanus Indic. 7. *ab eorum duce, ac patria,* Hungaros *ſe & recuperatam Pannoniam cognominavere.* Sed verius eſt Hungaros, *ab* Hungaro *eorum Rege nomen habere. Qui plura cupiunt legant epiſtolam 21. 34. epiſtolarum libri Franciſci Philelfi viri undecunq; doctiſſimi.* Joannes Camertes Enarrationibus in Julii Solini Polyhiſtor. cap. 34. Ejuſdem Philelfi Epiſt. eadem de re citat And. Althamer Comment. in German. Taciti, & Jacobus Spiegelius Scholiis in Richardi Bartholini Bellum Noricum, Auſtriad. lib. 3. hanc Epiſtolam habere non potui, quamvis ſedulo inquiſiverim. Enimverò credibile eſt nomina hæc, à Ducibus, ad poſteritatis memoriam ſuis ſubjectis populis attributa eſſe, quæ mutuati ſunt à *Hunor & Magor,* quos ſibi antiquitas Hunnica, Nemrothi Primogenitos fuiſſe perſuadebat. Hac opinione ductus, Attila ſe ſcripſit in Epiſtolis & Diplomatibus. *Attila filius Bendekuz. nepos magni*

Nem-

Nemrod. &c. constans de hoc titulo Annalium consensus est. Num hæc Mythistoria, an Historia neque hoc loco affirmamus neque confutamus, satis ducimus esse, constare primos nostros Ungaros nomina sua ad horum similitudinem conformasse. Dilucidiorem efficiet hanc disquisitionem *Origo Personarum*.

103. *Siculi ad 3000. in Pannonia substiterunt, ubi occupata Transylvania nomen mutuarunt & Siculos fecerunt, ne pro Hunnis agniti interficerentur.* Joannes Pistorius in Genealogia Regum Hung. *& ut facilius persuaderent se non esse Hunnorum reliquias* Nicolaus Olahus in Attila cap. 18. *quoniam Vnnorum nomen, omnibus tunc finitimis gentibus nimis infensum esse intelligebant.* Bonfin. dec. 1. lib. 6, Sicque *causa discriminis appellabantur Siculi* Ritius de Regibus Ungariæ lib. 1. sua lingua Székely, ut supra dictum. disquisit. 82. His obstrepit Ransanus Siculus, qui veros Siculos vult esse ex Siciliâ oriundos Indic. 2. *Sunt nihilominus, qui vetustiora repetentes, putent, Siculos revera eos dicendos esse, non Scythulos. Ejus namque gentis genus referri volunt in Siculos, qui tenent Siciliam insulam, in extremis Italiæ locis positam. &c. Perhibent igitur ejus nationis quãdam legionem sub Attila. olim Pannoniarum domitore, militasse: ut enim ex aliis compluribus orbis terrarum regionibus: ita & Sicilia, multi convenere mortales, ad exercitum Attilæ. ut mererentur sub duce, quo nullus tunc toto orbe præclarior. Illo postea extincto, ingentiq; illius exercitu maxima ex parte deleto: aliis alio contendentibus, Siculorum legio in hoc, de quo nunc est mentio, locõ sedes sibi locavit. Comixti deinde ob juncta matrimonia cum finitimis, mutata nationis suæ lingua, aliam acceperunt, illaq; in hanc diem usi sunt. Genus hominum ferox: ita mutato patrio Solo, imbutiq; alienigenarum gentium moribus, exasperati sunt, qui ex Sicilia fuerant oriundi.* Hactenus Ransanus. Cui Respondet Stephanus Zamosius ut & Bonfinio qui tamen Sentẽtiam mutavit supra d. l. & dec. 4. lib. 9. verba Zamósi ita se habent. *Bonfinius Seckelos Transylvanos, à Siculis, quibus cum nihil habent commune indigitat: cum certè ex patria lingua teneant vocis originem, quibus Seckhelsedium seu Comitiorum locum significat. Quam vocem uti barbaram, ad comitia literariæ dictaturæ ille citans, ac in Latinæ linguæ nobiliorem tribum intrudere volens, in Siculas* μετεμόρφωσε, *vernaculi verbi idioma prorsus abolens. Cui etiam lepidam fabulam intercalavit, metu Caroli Magni, ne internosci possint. olim illos mutatis sedibus, & nomina commutasse. Verum Carolus cum iis ne hilum quidem unquam pugnavit: Temporum enim ratio, si quis computet, multis seculis repugnat. Eorum regiuncula etiam hodie in septem sedes est divisa. Quæ etsi non conjectaria. Sed penitus* ὀφθαλμοφανῆ *sunt, has tamen nullius oblectamenti* σ'πιφόλιδας *non*

non vestigarem, nisi viderem quosdam securos verè magna cum autoritate, sed non futili corybantismo, annalibus quotidie eas nugas intrudere. ita ille cap. 3.

104. Hoc de Origine historica, referre volui sub Causa verbali quæ alias pertinerent ad originem personarum Causam Realem; tùm quod locus & occasio sic postularet, non distrahere, quæ conjunctim efferri possint; tum quod jam sequatur origo personarum. Ordinis memoriæq; causa quadruplex hæc *Realis Causa*; juxtà quatuor Causas Logicas. Nempe *Efficientem, Materialem, Formalem* ac *Finalem*, quem tritum ordinem observare studebimus in præsenti hac disquisitione.

105. *Causa Efficiens* secundum generalem divisionem causarum dividitur in *Vniversalem & Particularem.*

106. Pro subjecta materia, Vniversalem hoc loco iterum duplicem facimus: *Causantem & Occupantem.*

107. *Causatum* quatenus vi sua sive virtute originis Hunnos produxit, est effectum propriè sic dictum. De horum Origine magna scriptorum inconstantia ac diversæ sententiæ & opiniones sunt. Herodotus lib. 4. à capite 5. usque ad 15. de Origine Scytharum quatuor Narrationes refert. De Hunnis Jornandes *inhostes nationis suæ, nescio quæ monstra commentatur quæ pleriq; scriptores Annalium ita credidere, ut cum eo juxta delirent: quod non tam insolenter, quam verè à me dictum velim.* Bonfin. dec. 1. lib. 2. *Nam hos ut refert antiquitas ita extitisse comperimus. Filimer rex Gothorum, & Gandarici magni filius, post egressum Scanziæ insulæ jam quinto loco tenens principatum Getarum, qui & terras Scythicas cum sua gente introisset. &c, repperit in populo suo quasdam magas mulieres, quas patrio sermone Aliorumnas is ipse cognominat, easq; habens suspectas de medio sui proturbat, longeq; ab exercitu suo fugatas in solitudinem coegit terræ. Quas spiritus immundi per eremum vagantes dum vidissent, & earum se complexibus miscuissent, genus hoc ferocissimum edidere, quod fuit primum inter paludes minutum, tetrum atque exile, quasi hominum genus &c. Tali ergo Hunni stirpe creati.* de Rebus Get. cap. 24. Ejusdem opinionis & sectæ assecla sunt; Paulus Diaconus hist. miscell. lib. 12. cap. 13. Sigebertus Gemblacensis in Chronographia de Regno Hunnorum, Conradus à Lichtenavv Abbas Urspergensis Chronic. de Origine Hunnorum. Otto Phrisingensis lib. 4. cap. 16. Joannes Langius Lucubrat. in Niceph. Calist. lib. 11. cap. 48.

108. *Alii Satyros & Faunos generis produxit conditores.* Gaspar Ens Rerum Hung lib. 1. uti ex Vincentio & Sigilberto Antonius Florentinus Chronic. part. 2. tit. 11. cap. 8. ex quo Thuurocz part. 1. cap. 3 refert, & ex hoc Joannes Nauclerus Chronograph. part. 2. generat. 15.

Idem propè narrat Philippus Callimachus in hist. Attilæ. *Si qua humanæ virtutis modum in eo viro supergressa videbuntur, relato ad Deos originis argumento, fidem accipiant. Scribunt plerique, Filimerum Gotthorum regem. Sed rerum antiquarum peritiores memoriæ proditum reliquere, Idantirsum exercitu lustrato, nonnullas fœminas aliarum speciem corpore atque indole augustas, Scytharum castris excluſisse, easq; subinde in solitudine trans Mæotidem in Asia agitantes, à Faunis & Satyris compressas, Hunnos genuisse, quorum mox soboles tanta facunditate propagata, ut credi par foret, Deorum quoque cujuspiam ad id operam accessisse.*

109. Jornandi respondet Thuurocz part. 1. supra d. cap. *Invidia auctrice Iordanus hac ducitur sententia. Nam cum Gothorum de genere, quos Hungari propriis expulere de sedibus, suam ducat originem: progenitorum injuriam præ corde ferens, hoc opprobrio Hunnorum affecisse generationem credi potest. Sacra etiam hanc sententiam reprobat scriptura. Cum Evangelicæ lectiones nostrum canant protulisse Salvatorem:* (Joh. 3. v. 6.) *Quod* enim inquit, *natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex Spiritu, spiritus est.* Et rursus (Luc. 24. v. 39.) *Spiritus carnem & ossa non habet. Contrarium igitur & erroneum est, credere quod spiritus, quibus naturalia, quæ vim & officium habent generandi, concessa non sunt, generare possent.* hæc ille. Huc adde quæ de Incubis & Succubis scribit Serenis. Pontent Princeps Dn. Jacobus Angliæ Scotiæ &c. Rex, Dæmonologiæ lib. 3. cap. 3. & Franciscus Torreblanca simili scripto lib. 2. cap. 30. Possem pluribus ex Jornande ipso & aliis demonstrare, vanam & incertam opinionem esse, sed vereor ne in re tam manifestè erronea actum agerem. Omitto quod Herodotus lib. 4. cap. 94. usque ad 97. de Zamolxi dæmone Getarum scribit, quem subdole Jornandes, miræ philosophicæ eruditionis fuisse testatur, de Reb Get. cap. 5. Concidit quoque ex supradictis, omnium illorum opinio infirma qui post Vincétium & Sigilbertum, ex Faunis, Satyris & Diis processisse autumant. Nam Antonius Florentinus verba Jornandis retinet, additis tantum nominibus Faunis & Sicariis &c. Neque à Diis ortum traxisse, Attilæ hoc factum demonstrat, de quo Nicolaus Olahus in Attila cap. 15. *Attila primum Patavium (ubi Marulli Calabri Poetæ carmen de laudibus suis conscriptum, in ignem conjici jussit, quia licentia Poetica originem Athilæ ad deos retulerat: arbitratus impudentem esse impudentiam, dum mortales homines se à diis immortalibus traxisse originem configerent)* &c. ex hoc meminit Albertus Molnar Epist. dedic. in Lexico Latino-Græco Vngarico. Adde Bodinum in Method. Hist. pr. cap. 9. & Gruterum in Notis Polit. ad Præfat. Livii. *Sed commenta hæc fabularum amatoribus relinquamus.* Gaspar d. l.

Cæterum

110. Cæterum ut res clarior magisque perspicua sit, linea certa, quæ nobis vel digito commonstret totam Originem, & ea quidem triplex facienda est. Atque cum quidam à *Iaphet*; quidam à *Nembrod* originem Hunnorum repetant: in prima linea videndum quomodo inter se differant & conveniant. In secunda quomodo sint *Scythæ Regii*. In tertia, quomodo *Hungarica* eadem illa vetus mixta *Avaris Hunnica* gens sit, disquirendum: ne scriptoribus illis amplius blaterandi locus supersit, qui tumida opinione & vano affectu, sine ratione Hunnos puros putos Germanos facere non abhorruerunt, & *tam ambitiosè de suis civibus scripserunt, ut nec quicquam aliis tribuant, nec sibi Deos pares esse putent.* ut plurimos nominat Bodin. method. hist. c. 9.

111. *Tria sunt igitur argumenta* (scribit Bodin. d. l.) *quibus origines haberi, & ab historicis traditæ judicari possunt. Primum in spectata fide scriptoris: alterum in linguæ vestigiis: tertium in regionis situ ac descriptione.*

112. A scriptoribus *Caldæis omnium populorum origo petenda, nam in ea regione, aut certè illi finitima, navis illa quæ humani generis seminarium servarat, conquievisse.* Bodin. d. cap. Constat ergò Mosis gravissimo testimonio Genes. 10. v. 1. & 2. Has esse *generationes filiorum Noe: Sem, Cham, & Iaphet: natiq; sunt eis post diluvium; Filii Iapheth: Gomer & Magog.* &c. Sunt autem à *Magog, Scythæ.* D. Hieronymus Quæst. seu Tradit. in Genes. d. cap. Hujus magni scriptoris Ecclesiastici autoritate permoti autores Annalium Rerum Vngaricarum, ut in suis Chronicis eum sequerentur. Hinc alter Anonymus Vngarus *super lib. Genes. 10. suas fundaverat Origines.* de quo Thuurocz videndus in Soliloquio part. 1. Cui adhæret Thuurocz, quemadmodum ipse confitetur: *Vnde ne ipse ex me huic operi quippiam addidisse reprehendar, illorum sequens voluminum auctores, meis propositis idem principium pono.* quod est d. l. cap. 1. Quos taxat Bonfinius dec. 1. lib 2. pr. *Nonnulli quidem, nescio quid ex Hebræorum historia hallucinantes, à Magog filio Iaphet Scythas promanasse scribunt.* Et quod magis est culpantur impudenti mendacio à Gaspar Ens Rerum Hung. d. l: *quidem Magogum (quem impudenti mendacio faciunt Iapeti filium) generis* &c.

113. Ac negari quidem non potest primordia cujusque gentis fabulis veluti tenebris obscura esse ut in Proœmio dictum. Nam hoc partim accidit confusione linguarum & dissipatione in universas terras quæ simul & semel contigerunt Genes. 11. partim experientia quoque docet *omnes homines tùm peragrationibus, tùm etiam coloniarum multitudine ita confusos, ut nulli de originis antiquitate ac vetustate, præter Hebræos gloriari possint.* Bodin. method. d. cap. circa finem: *cæteros ob-*

ſcuris ob vetuſtatem initiis niti. Tacit.3. Annal. cap.63. *Igitur ſoli Hebræi generis antiquitate populis omnibus præſtant nemo tamen ſuam tribum ciere poteſt: ſed omnes inter ſe confuſi ſtirpem agnoſcunt, ramos ignorant.* Bodin.d.l. Sic Gog & Magog non eſſe certas gentes Auguſtinus de Civitate Dei lib.20. cap. 11. demonſtrat. Et Ezechiel cap 38 v.2.& cap. 39. Apocalypſ 21. Ad hæc referenda quæ ſcribunt, Suidas in voce Magog. Ortelius Theſaur Geograph in verbo Gog & Bambyca. Joannes Annius Comment.in Beroſi lib 2.& 3. de Nino Filio Beli. Philippus Melanchthon lib.1.Chronic.de Poſteritate Iaphet Paulus Merula Coſmographiæ part.1 lib 3. cap.14.

114. Verum enimverò debuiſſent Bonfinius & Gaſpar Ens ſine Hungarorum contumelia moderatius ſcribere. Sanè hoc præter D. Hieronymum magno conſenſu veteres tradiderunt (Vide ſis etiam infra diſq.119.) de quibus Merula d. l. ita ſcribit: *Ioſephus, ne aliorum ſententias præteream, & ſequutus eum Zonaras, ab Magogo Magogas deducunt; quos Græci Scythas Νομάδας & Ἀμαξοβίους nominant. Alii Maſſagetas & Getas huc trahunt.* Quibus obſtat D. Hieronymus d.l. *Scio quendam Gog & Magog, tam de præſenti loco quam de Ezechiel, ad Gothos nuper in terra noſtra vagantium, hiſtoriam retuliſſe: quod utrum verum ſit, prælii ipſius fine monſtrabitur. Et certè Gothos omnes retro eruditi, magis Getas quam Gog & Magog appellare conſueverunt.* Idem ſentit Auguſtinus d.l. Imò Joannes Antonius Maginus Geograph. part. 2. in deſcriptione Tranſylvaniæ num.26.tradit: *Hungari, in materna lingua ſua Magyar ſe vocitant, q.d. Magog, qui filius erat Iaphet; huic ſententiæ Beatus Auguſt. videtur adſtipulari.*

115. Horum ſcriptorum fides ulterius probari poteſt ex Bodini method.hiſt.c.4. *Cavendum,* inquit, *imprimis erit ne ſcriptori de ſe ſuisque civibus & amicis quæ laudabilia ſunt, aut de hoſtibus turpia ſcribenti facilè aſſentiamur. contra verò minimè dubia fides eſt eorum quæ de hoſtibus laudabiliter & gloriosè geſta confitemur. in reliquis domeſtica vel hoſtium judicia nolo: ſed ut in arbitris tertium aliquem qui ab omni perturbatione liber ſit.* Nec non ſequentes ſcriptores in tota hac origine Hunnorum ex jam dictis judicari poſſunt, excepto Beroſo qui à doctis pro ſuppoſititio autore habetur, de quo Beatus Rhenanus Rerum Germanic. lib.3. *Fictitius ille Beroſus (qui certè fragmentis Beroſi veteris quem Plinius & Ioſephus citant, ſua aſſuit ſomnia, ſi non totum ſub alieno titulo librum contexuit)* & lib.1. *Non nego tamen, doctum fuiſſe qui nobis Beroſum effinxit, quisquis fuit. nam ita rem temperavit, ut non cuivis impoſtura ſtatim ſuboleat;* rurſus lib.5: *Proindè ſciant ſtudioſi in his quæ è Diodoro ſumere potuit atque aliis ſcriptoribus antiquis Beroſus iſte, eſſe quæ probari poſſint, verum in iis quæ vel ad Hiſpaniam vel Galliam, vel Germaniam pertinent, imprudentes plerunq; fabulas tradi.* &c. Ergò & nos eatenus utemur ejus autoritate quatenus cum aliis videbitur convenire, & ab aliis etiam uſurpatus fuerit.

116. Secundum argumentum eſt in *Linguarum veſtigiis.* Variè nomen *Magog, Gog, & Scytha* interpretatur & deducitur. De Gog & Magog videri poſſunt D. Hieronymus & D. Auguſtinus d. l.

117. Nomen *Scythæ* Bodinus ut ſup. diſq. 87. dictum, eruit à Chetim Japheti nepote filio Javan. Gen.10. Et nemo eſt qui neget Scythicam gentem à perſona nomen accepiſſe, repete diſq.96. ſed in hiſtoria ficta plerique diſſentiunt. Miſſo quod D. Hieronymus ſup. diſq.112. à Magog Scythas vult eſſe. Diodorus ſiculus lib. 2. tradit. *Fabulantur Scythæ, virginem ex terra apud ſe natam, cujus forma cingulo tenus fœminam, inferius viperam repræſentarit. Cum hac Iovem congreſſum, Scythen genuiſſe. Is* (inquiunt) *cum præ majoribus apprime clarus evaderet, gentem ſuo nomine inſignivit.* Conſimile Græci ad Pontum habitantes referunt de Araxa juniore quæ cum Hercule congreſſa genuit tres filios, Agathyrſum, Gelonem & Scytham juniorem à quo Scythas dicuntur. Legatur Herodot.lib.4 c.8.9.& 10.

118. Sed hanc explicationem Diodori & Herodoti non eſſe præcipuam, à *Situ loci* cognoſcitur, ut ipſe Diodorus lib.d. cum Beroſo conſentit: *Nunc de Scythis,* (verba Siculi ſunt) *eorumq; finitimis particulatim aliquid diſſeremus. Hi olim anguſtam poſſidebant regionem ſed paulatim viribus ac ſtrenuitate ſua potentiores facti, longè lateq; propagatis finibus, ad magnam imperii amplitudinem & gloriam nationem ſuam provexerunt. Ad Araxem fluvium initio perpauci admodum, & propter ignobilitatem contemti, conſederant. Poſt unum ex antiquis regibus bellicoſum, & imperatoriis artibus egregium, adepti, quicquid montanarum eſt ad Cauſaſum, & campeſtrium ad Oceanum paludemq; mæoticam, & reliquarum ad Tanaim usq; flumen terrarum, regioni ſuæ adjecerunt.* Anguſtam regionem forte putat Armeniam, quam primitus inſidebat Araxa cum filio Scytha, de quibus Beroſus lib.4. ita ſcribit: *Scytha cum matre ſua Araxa & aliquot coloniis qui Armeniam incolerent, rex primus relictus eſt conſtituto ſummo pontifice Sabbatio Saga ab Armenia usque in Bactrianos: quæ longitudo à nobis ad hanc ætatem vocatur Scythia Saga.* Nam & Araxes fluvius eſt in Armenia majori ut delineavit hunc Ptolemæus Tabula 3. Aſiæ, & lib.5. Geograph cap.13. Idem quoque Beroſ. lib 5. de Araxa & Scytha ſcribit, quod ſupra de rege bellicoſo dixit Diodorus: *Araxa cum filio Scytha, creato omnium gentium Sagaram rege Sabatio Sagæ, atque in Armenia relicto, ipſa occupavit omnem partem occidentalem ab Armenia usq; in Sarmatiam Europæ.*

119. Tertium argumentum est à *Situ loci*. Berosi. lib. 5. *Anno quadragesimo quinto ejusdem regis* (scil. Nembrodi) *aliqui ex filiis Mesæ* &c. *Eadem tempestate Saturnus rex Babyloniæ misit principes coloniarum Assyrium, Medum, Moscum & Magogum: qui regna condiderunt Assyrium, Medum, & Magogum in Asia, Moscos verò & in Asia simul & Europa.* Eadem verba ex Berosо refert Sleidanus de Monarchiis lib. 1. de hoc autore tulit judicium dexterrimum Bodinus Method. Hist cap. 4. Nec aliorsum tendit ille Anonymus Hungarus, cujus mentio supra facta disq.

112. *In altero autem voluminum prædictorum subditur, quod Hunor & Magor, patres Hunnorum sive Hungarorum, non fuissent filii Nemroth, qui fuit filius Chus, qui fuit Cham, qui fuit à Noë genitore maledictus. tum ex eo, quia ipse Nembroth nunquam juxta fluvium Tanaim habitasset: tum verò, quia, ut supra dictum est, à Magog filio Iaphet descendissent Scythæ* &c. *Nam subditur ibidem: Ergo ut sacra scriptura & sancti doctores dicunt, Hungari descenderunt à Magog filio Iaphet. qui post diluvium anno 58. prout S. Sigilbertus Episcopus Antiochenus in Chronica orientalium nationum refert, intravit terram Evilath, ex conjuge sua Enech genuit Hunor & Magor supradictos, à quibus Hunni & Magari generati & denominati fuissent.* Thuurocz. part. 1. c. 2. Eadem incedit semita D. Hieronymus libr. 11. super cap 38. Ezechiel: *Igitur Iudæi & nostri Iudaizantes putant Gog gentes esse Scythicas, immanes, & innumerabiles, quæ trans Caucasum montem & Mæotidem paludem, & prope Caspium mare ad Indiam usq; tendantur.* Hujus vestigiis insistit Ludovicus Vives Comment. in August. de Civit. Dei. lib. 20. cap. 11. Sed hæc omnia de Magog & Gog lectoris arbitrio concedimus.

120. Superest in hac prima linea examinanda generatio Nembrodi. *Hunc Nemroth, quidam voluerunt* Hunnorum *sive* Hungarorum *fuisse protoparentem.* Thuurocz. part. 1 cap. 2. Genes. 10. vers. 6. *Filii autem Cham: Chus,* &c. vers. 8. *Porro Chus genuit Nembrod: ipse cæpit esse potens in terra.* Malè alter Anonymus Hungarus super Genes. 11. capit. Hungarorum funda verat origines, de quo Thuurocz in Soliloquio. qui *Hunor & Magor Nembroth esse primogenitos* scripserat. Thuurocz. d. l. cap 4. Seorsim etiam sentit Bonfin. *Vnnor &* Magor, *cujusdam Annalium scriptoris opinione Vnnorum auctor fuisse traditur: qui quum nihil præter* Hebræam *legerit historiam, hinc omnium gentium originem arcessitur.* dec. 1. lib 2 Quod idem enunciabat Joannes Nauclerus generat. 17. part 1. Chronogra. *Sive ab* Hunnor & Magor Hungaros *quis duxisse contendat, non refert. Cum nemo sit qui non gloriari possit ex arca se Noe, sed & ex Adam & Eva processisse. Sed quod regnum istud in hac generatione fuerit exortum, neminem adhuc vidi, qui Reges illorum regnorum nominaret.*

121. Id

121. Id ipsum quamvis minimè veri speciem obtinere videatur, persuasum attamen Hungaris, planè fabulosum non esse, ut plurima ostendunt ne hæreant. Habent ceu adamantinum Attilæ argumentum, quo utebatur in Epistolis & diplomatibus: Attila Filius Bendekutz: Nepos Magni Nemroth: Nutritus in Engadi: Dei Gratia Rex Hunnorum, Medorum, Gothorum, Danorum, Metus Orbis Et Flagellum Dei Thvvrocz part. 1. c. 12. ex hoc Nicol. Olahus in Attila. c. 3 idem refert Bonf. dec. 1 lib 9 qui scribit pro Bendecuz; Mundizicz. Bonfinius hoc fundamento innititur Prisci Rhetoris: *Attilam nobilis parentis esse stirpem, & patrem ejus Mundiuchum* Excerpt. ex Hist. & huic incumbit Jornandes de Reb. Get. cap 35. *Is namque Attila patre genitus Mundzucco*; & pro nutritus; natus, & pro Danorum; Davorum. Dachorum habet Ritius de Regibus Ungariæ. lib. 1.

122. Atque hinc Thvvrocz. part. d. cap. 4. *Nec ille magnus Attila suam quomodocunque deprehendi potest neglexisse nationem. Nonne nepotem magni Nemroth suo in titulo se scripsisse invenitur. Et in secundo libro Chronici operis Hungaricarum rerum, dum de illorum secundo tractatur ingressu: ipsi Hungari suæ originis propaginem per generationis lineam ad magnum Nemroth deduxisse reperiuntur.*

123. Longissimam hanc prosapiam ex his Thvvrocz. part. 2. cap. 2. cap. 1. refert, & ex hoc eodem servato ordine, leviter tantum immutatis nominibus, & transpositis, literis Bonfin. dec. 1. lib. 9. ex quo Joannes Herold in Chronologia Pannoniæ. Stephanus Székelius verò in Chronico Mundi Ungaricè scripto paulo aliter Ungaricæ gentis Originem & Ducum seriem recensет, à Noa incipiendo, quam supradicti ab Almo parentis Arpad inverso ordine ennumerabant. Catalogum originis Ungaricæ gentis, & Attilæ generis *apud Székelium nostrum fol. 150. sic habet*, teste Alberto Molnaro Epist. dedic. Grammat. Ungari pag. 13. in fine.

1. Noë, 2. Ham, 3. Chus, 4. Nimbrod, 5. Hunnor, 6. Bor, 7. Dama, 8. Keleed, 9. Keve, 10. Kear, 11. Beller, 12. Kadar, 13. Othmar, 14. Farkas, 15. Bondofard, 16. Büken, 17. Czanad, 18. Rudli, 19. Beztur, 20. Mike, 21. Muke, 22. Ompud, 23. Kulcze, 24. Levente, 25. Lehel, 26. Zamur, 27. Zambur, 28. Bolug, 29. Boczu, 30. Zoltan, 31. Berend, 32. Kadicza, 33. Opos, 34. Ethei, 35. Szemein, 36. Turda, 37. Bendeguez, 38. Attila, 39. Chaba, 40. Ed, 41. Vgec, 42. Eleud, 43. Almos, 44. Arpad, 45. Zoltan, 46. Toxus, 47. Geyza, 48. Stephanus Rex.

124. Quid mirum? hæc cum intellexerat Bonfinius ita consignave-

gnaverat: *Genealogiam hanc unde ſcriptores Annalium Vngaricorum expiſcati fuerint, niſi aut commenta ediderint, aut à Majoribus per ætates ad poſteriorum cognitionem iſta pervenerint, nondum compertum habeo. Et illud admodum mirari videor, quam propriis iſti ſcriptoribus caruerint, quibus nam monumentis in Noe genus (quod neque Græci neque Latini vere factitarunt) referre poſſint. Priſcarum fortaſſe more gentium, parentes iſta liberis per ſuccedentia ſecula tradidere, quemadmodum de Longobardis ſupra retulimus.* Sic Bonfinius d.l.

125. Quam quò magis credamus, ſciemus carminibus hæc à majoribus accipere potuiſſe, quod unum apud illos Annalium genus erat, de qua re in Proemio uberius. Quærimus adhuc Exemplum? ſuppeditat id ecce Attilæ mors, de cujus magnificis exequiis ei præſtitis ab Hunis, hoc profert Jornandes de Rebus Get. cap. 49. *Nam de tota gente Hunnorum electiſſimi equites in eo loco quo erat poſitus, in modum Circenſium curſibus ambientes, facta ejus cantu funereo referebant.*

126. Ex his ergò minime obſcurum eſt, unde deſumſerint Vngari hanc Genealogiam, in qua apparet quoque quomodo inter ſe differat & conveniat Origo Hunnorum à *Iaphet* & *Nembrod*. Convenit cognatione & cognomine generali *Scythæ*, quod Hunni à habitatione loci acceperunt, vide diſq 68. Differt generatione ſpeciali, quam conſiderat alter ille Annalium ſcriptor, à Japheti filio Magog producendo Hunnos, de quo diſq 119. ſeductus fortaſſis oratione D. Hieronymi; *à Magog ſunt Scythæ* Pariter cum hoc implexus Bonfinius dec. ſupra dicta, quando ita ſcribit: *Hunor ex Nembrotho, Nembrothus ex Chuſe, Chus ex Cham, Cham ex Iaphet, Iapheth denique ex Noë natus eſt.* & cum hoc Johannes Herold in Chronologia Pannoniæ. Quos omnes Geneſ.10. infallibile teſtimonium S. Scripturæ redarguit

127. Adhuc ne quis deſiderat Veritatem Annalium? qui legit diſq.95 attendat quam optimè conveniat in altera generatione Nembrodi Procopius cum Annalibus. Imò, quod mireris ejus originis majus argumentum, in lingua Hebraica conſpicuam facit fidem Annalium Ungaricorum Scriptorum, *ſcilicet* Hæbræa *veſtigia, in quibus præcipuum eſt originis argumentum.* Bodin. Method. Hiſt cap.9. Eaque cum noſtri originum ſcriptores non aperuerint, nunc paucis exequar, deinde locorum ſitus explicabo.

128. Hunno-Ungaros Hebrææ linguæ veſtigia non potuiſſe abolere, arguit ſpeciale cognomen Hunni, à Chana, de quo diſq.88. item literarum natura in Sono & Affectu. Ab Vngaris perſonum *interdum* a *ut Patach*, e *ut Sægol Hebræorum*; *clarè & ore apertiore proferuntur, & plerumq; notantur accentu acuto, ſic:* á, é. *aut duplicantur, ut* aa, ee *poſterior à quibusdam pingitur ſic*, ę.

Interdum vero, a *ut Cametz obſcurè & quaſi cum* e *mixtum*; e *ut Zere pronunciantur.*

S, cum denſiore ſibilo proferunt, velut Hebræi ש, *ſchin, &c.*

Z, profertur ut Zain ז *Hebræorum: &* ſ *Germanorum in vocibus* nas, *&c.*

Sz leniter pronuntiatur ut ס *Samech Hebræorum &c.* Moln. Grammat. Vng. lib.1.c.1.

129. *Affectiones ſyllabarum in tempore & accentu tàm variæ & multiplices ſunt in hac lingua, ut omnia Hebræorum puncta & accentus omnes locum invenirent in ſcriptura noſtra Vngarica ſi literis Hebraicis uteremur. Minima enim accentuum mutatione & prolationis varietate, mutatur vocis ſignificatio; ut obſervavit etiam Galeottus Martius Italus, Matthiæ Regis Vngariæ olim Præceptor, in lib. Apophteg. Regis Matth. cap.18. & 28.* Molnar dicto lib. cap.2.

130. Conſimiliter coarguuntur, *ſcriptura* antiqua Hunnicâ. *Nam & hoc noſtro ævo pars nationis ejusdem quædam, Tranſſylvani regni poſita in oris, characteres quosdam ligno ſculpit, & talis ſculptura uſu literarum ad inſtar vivit.* Thuurocz. in Præfat. Idem autor de Siculis iſtis: *Hi nondum Scythicis literis oblìti, eisdem non encauſti & papyri miniſterio; ſed in baculorum exciſionis artificio dicarum ad inſtar utuntur.* part.1.cap. 24. Ac *characteres ipſorum cum Abyſſinis, Hebraicis, Syriſq; affinitatem habent, & à dextra ad ſiniſtram more iſtorum ſcribunt. Extat talium characterum liber in Bibliotheca Ducis Florentini.* Joannes Anton. Maginus Geograph. volum.2. in Deſcript. Tranſſylvaniæ, num.17. Sic ſatis verbosè & expoſitè, non multum diſcrepat Stephanus Zamoſius Analect. Daciæ antiq. cap.3. *Supereſt apud hos in Tranſſylvania, genus quoddam vernaculum ſcribendi, quod ab ἀρχαιογόνοις eorum Scythis jam inde per multa ſecula, poſteritati traditum, ac ab Oriente in Europam illatum retinetur. Sicut autem linguarum diſſimilitudine Aſiatici ab Europæis herciſcuntur, ita & literarum notis, ſcribendiq; forma, per omnia diſſident. Nam cum Europæi dextrorſum elementorum figuras ducant, Aſiatici ſiniſtrorſus ſuas pingunt καρκινίζοντες. Ex his duabus ſcribendi formis, cæteræ etiam in toto orbe, ut originem habent, ita & motus qualitatem alterutram ſequuntur. Sola Siculorum ſcriptura noluit eas leges imitari. Ea enim non ultro citroq; ut Græca & Hebræa, ſed initium à ſummo faciens, horſum ſe capeſſit, literis deorſum tendentibus, ac tam ſubtili complexione implicatis, ut pauciſſimis multa abſolvatur ſententia. Itaq; non ſcriptorio ſemper atramento, ſed particulis oblongis, fuſtellisq; in quadrum dolatis, cultelli cuſpide, veluti ſtylo lite-*

ras confertim hærentes insculpunt. Quod genus ἐγγλυφογραφίας, cum iisdem priscarum literarum notis, huicusq; temporis penes illos remansit. Talis typi exemplar perquam vetustum, integro volumine in Bibliotheca, Magni Ducis Hetruriæ, Florentiæ hodie extat, mirandis sane & incognitis Europæ literarum notis, charta libri non est opistographia, sed adversa tantum parte conscripta: verum ita ob papyri subtilitatem tralucent omnes literæ, ut aversa quoque parte non minus quam adversa legi paritex queant. Non è lineis chartis, quales hodie in usu, sed Nilotica papyro, volumen constat, nec calamo est exaratum, sed typo impressum, ubi versum στοιχία, dependulæ singularibus lineis, per quælibet interstitia insertis inter sese, distinguuntur. Nec verò ipsi tantùm characteres, sed totus etiam Codex multam vetustatem omnibus argumentis præ se fert, ut jam desinant gloriari Europæi de sua Cassiterographia nuperrimè inventa, cum hic liber ante multa secula impressus literis huic orbi incognitis Scythas ejus rei authores manifestè proclamet. Quod & Paulus Iovius, ab Oriente per Scythas ad Europæos venisse jam pridem rectè scripsit. Hactenus Zamosius.

131. Sed in hac scribendi forma, nulla narratio ad nostrates pervenit. Nec tamen *de hoc crimine Hungarorum vetustas arguenda est, quod suarum memoriam rerum altum oblivionis in pelagus defluere permisit. Hoc genus hominum, ipsarum ætate rerum, armorum potius strepitu quam literarum scientia sese exercitabat.* Thuurocz. in Præfat. Chronic. Vide in Præfat. verba: Ab ipso etiam Attila. Finire hoc argumentum nunc liceat istis Molnari Præfat. ad Lectorem Grammat. Vngar. *Siculorum vel Szekeliorum Transalpinorum literas Hunniacas, quarum* etiam *meminit Stephanus Szekel in suo Chronico Vngarico, nunquam vidi, neq; hominem novi, qui eas viderit. Rogo itaq; populares meos, inprimis Szeculos Transsylvanos, ut si quid ejusmodi penes se habeant, in publicum illud proferre, cum suis commentariis dignentur.*

132. Ex nomine verò Nembrod nullum defluit vestigium linguæ. Etenim *Nimbrod, rebellis: malè Philippus Melanchthon* (lib. 1. Chronic. Carion. de Posteritate Cham) *amarum dominatorem interpretatur. Est enim marad rebellis* ut docet Bodin. method. hist. cap. 9.

133. Verum operæpretium est æquivocationem nominis Nembrod perpendere. *At nemini dubium est quin Saturnus Nembrodus omnium consensu vocetur.* Bodin. method hist. cap. 7. autores sunt Berosus lib. 3. 4. & 5. Xenophon de Æquivoco primo, & de Æquivocis temporum. Archilochus de Temporibus in principio ferme; quibus assentiuntur Bodin. dicto capite & Sleidanus de Monarchiis lib 1. Igitur *Saturni dicuntur familiarum nobilium regum, qui urbes condiderunt, senissimi. Primogeniti eorum Iores, & Iunones. Hercules verò nepotes eorum fortissimi. Patres Saturnorum Cæli. Quot ergo Saturni, tot Cæli, Vestæ, Rheæ, Iunones Hercules. &c.* Xenophon pr. lib. de Aequivocis. Ac propterea non unum sed plures fictitios fuisse Saturnos intelligimus pro lubitu cujusque gentis, quantò quæque adulatione promptior & amore proclivior in suo Reges fuerit, quas rationes signanter ponit Lactantius Divarum Institut. lib. 1. cap. 15.

134. *Non est quod te isti decipiant, qui quum majores suos recensent, ubicunque defecit nomen illustre, illico Deum fingunt.* Seneca de Beneficiis lib. 3. cap. 28. Ideòque Attila non approbavit generationem divinam, sibi à Marullo Poeta attributam, quod *familiæ suæ longo ordine ac multis stemmatum illigata flexuris* (Seneca d. l.) non defuit nomen illustre *Nembrod*, quem nunquam cæca assentatione falsò credidit Deorum Ethnicorum vicem obtinuisse.

135. Tertium argumentum invenire est in solo patrio vel *Generali* vel *Speciali*. Extra dubium est Nembrodum in Asia habitasse itidem Hunnos perpetuò olim Asiæ affixos fuisse antequam Cimmerios ejecissent è sedibus propriis; & Vexorem Regem Aegyptium devicissent. Justin. lib. 2. cap. 2.

136. *Specialis situs* Nembrodi perspicuus fit ex Berosо: *Cum q; Saturnus prospiceret se non posse evadere quod innumeras insidias sibi paraverat Iuppiter Belus, clandestina fuga se tutabat, in Sagis Caspiis delitescendo. Cum q; naturæ concederet, jussit filio Nino ut Sabatium Sagum funditus deleret, & omnes populos Babylonico regno subjiceret, quia omnium in orbe primum fuisset* lib. 5. de 2. Rege Babyloniæ. Quod Saturnus & Nembrod idem fuerit disq. 133. dictum, quod nunc idem sit, exponunt verba Berosi lib. 5. Babyloniæ *Iuppiter Belus filius dicti Saturni* & dicto lib. de Nino: *Ninus Iovis Beli filius.* Quare quod supra scripsit, *jussit filio Nino*, est pro nepote Nembrodi & non pro ejus filio accipiendum. Argumento quoque de Saturno, sunt Virgilii versus 319. Aeneidos 8.

Primus ab Aetherio venit Saturnus Olympo
Arma Iovis fugiens, & regnis exul ademptis.

Sagarum Caspiarum circumferentiam, in quibus delituit Saturnus, cõplectitur Berosus lib. 5. *Sagæ Armenii multiplicati possederunt omnẽ Caspiã regionẽ ab Armenia usq; in Bactrianos.* de qua videatur etiã disq. 118.

137. Quæ cum ita se habeant, non adeò absurdè Thvvrocz Annalium Scriptores sectatus est ad verbum Chronic. part. 1. cap. 2. *Nam in uno dictorum voluminum positum est, quod Nembroth gigas, post linguarum confusionem in terra Evilath, quæ nunc Persida vocatur, intrasset: & ibi ex conjuge sua Enech vocitata, duos genera sset filios, quorum alter Hunor, alter verò Magor denominati extitissent: ex quibus tandem universi Hunni*

sive Hungari ipsorum generationes recepissent propaginem. Dicitur etiam &c. vide disq. 95. Error Geographicus in nomine Evilath est. Enim *Hevila & Sur, respicit Ægyptum* Genes. 25. vers. 18. hoc est, *quæ est è regione Ægypti;* Samuel 15. vers. 7. *Iosephus legit à Pelusio Ægypti usq; ad Rubrum Mare &c. pro Æthiopia Interiore intelligo.* Ortelius Thesaur. Geograph. in verbo Evila. Loco constant, id est, *Persida*, quam inter Armeniam majorem & Bactrianos fuisse, ex Annalibus liquet, qui Persiam sive Evilath falsò sibi persuadebant Mæotidi paludi vicinam esse ut disq. 150. dicetur.

138. Hanc primam lineam, levi dolabrâ expolitam, non tanquam Historiam, purum & merum verum continentem, sed potius Mythistoriam fabulis vero mixtam, præmisimus; ad veriora nunc & memorabiliora festinat calamus, scilicet *secundam lineam* monumentis veteribus nitidiorem & notiorem. Utpote Ritibus, Moribus & similibus, quæ suis locis explicantur, tum scriptorum fide, linguarum vestigiis & situ loci de quibus hîc speciatim.

139. Hunnos *Scythas Regios* nuncupandos ex Zosimo ostensum est disq. 70. Et quidni nuncupandi, imò sunt Scythæ Regii illi apud Herodotum lib. 4. cap. 20. 56. 57. & 59. &c. Aperta oratione, neque gratia neque odio confirmat hoc D. Hieronymus, Epistola ad Oceanum Epitaphium: *Hanc gentem Herodotus refert sub Dario rege Medorum viginti annis orientem tenuisse captivum, & ab Aegyptiis atq; Aethiopibus annuum exegisse vectigal. Abigat Iesus ab orbe Romano tales ultra bestias &c.*

140. Herodoti Historia lib. 1. cap. 104. usque ad cap. 104. hæc est: *Ingens Scytharum exercitus, duce Scytharum rege Madye Protothyæ filio: qui Cimmeriis ex Europa ejectis in Asiam eruperunt: & dum illos fugientes persequuntur, ita in Mediam penetrarunt. Est autem à lacu Mæotide ad Phasim usque & Colchos, expedito viatori iter triginta dierum: è Colchis vero non ita longo itinere perveniri potest in Mediam: sed una duntaxat natio interjecta est, Saspires: quos ubi transieris, continuè occurrit. Media Scythæ tamen hac non irruperunt, sed alia via superiore & multo longiore deflectentes, Caucaso monte ad dextram relicto. Hic Medi cum Scythis congressi, prælioque fusi, Asiæ imperium amiserunt. Porrò Scythæ universa Asia potiti, hinc recta in Ægyptum contendunt. Quibus jam Syriam, Palæstinam ingressis Psammitichus occurrens Ægypti Rex, muneribus precibusque effecit ne ulterius progrederentur. Scythæ ubi retrocedentes &c.* (vide disq. 145.) *Postquam verò jam viginti octo annis Asiæ imperium Scythæ obtinuissent, omniaq; jam pene ex negligentia licentiaque depopulata essent (nam præter tributum exactionesque, diripiebant, extorquebantq; à quibuslibet quæcunq; possidebant) horum potiorem partem Cyaxares atq; Medi hospitio acceptam inebriatamq; interemerunt. Et sic quidem Medi recuperarunt imperium receptis iis, quibus prius potiebantur.* Huc adde quæ pr. lib. 4 scribit. autor dictus. & Justin. lib. 2. cap. 5. Idem Ammianus Marcellinus lib. 31. cap. 7. *venando ad usq; Mæotica stagna & Cimmerium Bosphorum, itidemq; Armenias discurrentes &* Mediam.

141. Eandem Mediam iterũ ingressos esse Hunnos urgente fame Priscus significat. *Vno ex nobis quærente, quæ via, è Scythia, in Persas duceret? Romulus dixit, non longo locorum intervallo Medos dissitas esse à Scythis, neq; non Hunnos hanc viam nescire, sed olim fame per eorum regionem grassante, cum Romani propter bellum, quod tunc temporis gerebant, minimè cum illis prælio decertarent, hac irrupsisse, & ad Medorum oppida, Bazic & Coursic usq; penetrasse. Nec multò post Principes, ex Scytharum Regibus ortos, magnæ hominum multitudini imperantes, qui ad hanc expeditionem egressi fuerant, Romam ad contrahendam armorum societatem venisse. Hos narrasse, per quendam desertam regionem illis iter fuisse, & paludem trajecisse, quam Romulus existimabat esse Mæotidem: deinde quindecim diebus elapsis, à quibusdam montibus, quas superassent, in Mediam descendisse. Ibi prædas agentibus, & excursionibus agros vastantibus, Persicum agmen superveniens, telis super positum aëra replevisse. Itaque imminentis periculi metu, retro abscessisse, & montes regressos, pauxillum prædæ abegisse. Magnam enim partem Medos extorsisse, & ut hostium impetum evitarent, ad aliam viam deflexisse. Et per loca, ubi ex petra maritima flamma ardet, illinc præfectos, nescio quot dierũ itinere ad propria remeasse &c.* Excerpt ex Hist. Gothica. de Attila.

142. Ad hæc Herodoti & Prisci Rhetoris commodè referas illustrationem tituli Attilæ, ne fabulosa videatur hæc inscriptio: *Attila &c. nutritus in Engadi; Dei gratia Rex &c. Medorum.* Scis? Hunnos, abrogasse imperio Medos & duodetriginta annos superiori Asiæ imperitasse, Herod. d. lib. 1. & 4. Scis? Hunnos in Palæstina fuisse, in qua regione Ptolemæo Geograph. lib. 5. cap. 16. *Engada ab occasu Iordanis fluvii est.* adi ejusdem 4. Tabulam Asiæ. *Trecentis stadiis à Ierosolyma abest, teste Iosepho Antiq. lib. 9.* Ortelius Thesaur. Geograph. in verbo Engada.

143. Nec de Hunnis & Scythis Regiis, fuisse alterius sententiæ Teophylactum Simocatum & alios Historicos, succinit Eustathius notat in Dionysii Poetæ vers. 730. *Non tantum autem Simocatus verum etiam multi fide digni Historici memorant Vnnos minime aspernandam esse gentem Scythicam axiologam, id est præcipuam.* Adeò, ut jam fides habenda Zosimo, D. Hieronymo, ex Herodoto id affirmantibus.

144. Ea, quo fiat gravius velut Echo, vestigia Scythica Linguæ Ungaricæ excipiunt, quæ subobscurè desummi possunt ex Herodoto,

quæ vel ipſe autor vel deſcriptores & interpretes, cujus operibus in lucem editus eſt, corruptè & indiſtinctè tradiderunt ignorantiâ Scythicæ & Ungaricæ linguæ, in qua exotici ſcriptores frequentiſſimè errant Orthographicè, qui ſcribendi officio ſe ſatis perfunctos credunt, ſi qualitercunque ex rumore captata verba, Pſitaci more non intellecta reddant, & hiſtoriis ſuis aggregent.

145. Verba Scytharum, quarum veſtigia in Ungarica lingua cernuntur hæc ſunt: *Enareas, Enaries, Amaxampeus, Scolos.* Herodotus lib. 4. cap. 67. de Vaticinatoribus Scytharum: *Enaries qui ſunt androgyni, ajunt ſibi à Venere traditam divinationem.* HOS Stephanus hoc loco, latinis verbis facit *Vates eviratos.* D. verò Caſpar Simonides, cujus mentio ſupra habita, legit Ἐμαφεας à verbo ἅιμα, ſanguis, & ῥεω, fluo. Aſt cognomen *Enaries* non ad paſſionem ſed actionem referendum eſſe, ſuppeditat nomen differens *androgyni*, quod paſſionem ſpecificè denotat. Pendent ab hujus nominis actione verba Herodoti lib. 1. cap. 105. ubi de Scythis, quos ſupra diſq. 139 HUNNOS probavimus fuiſſe. *Scythæ ubi retrocedentes in urbe eſſent Palæſtinæ Aſcalone, bonaque parte Scytharum nullam injuriam inferente, pauci aliquot relicti veneris Vraniæ fanum depecularunt &c. Ac verò Dea ipſa templi ſpoliatoribus eorumque poſteris ſemper immiſit morbum fœmineum: quemadmodum & ipſi fatentur Scythæ, ſe videlicet illo morbo ob id laborare, & videre licet apud Scythas hunc morbum curantes, quos* Enareas *appellant.* Hos impropriè *execrabiles ſeu execrationi obnoxios*, explicat HENRICUS Stephanus hoc loco. Nam ſecundum jam dicta *Enareas* eſt Curator fœminei morbi ex curſu orbium cæleſtium: & *Enaries*, Divinator ex conſtellatione Syderum Cæleſtium. Quam interpretationem propriam eſſe judicari poteſt ex lingua Ungarica, Scytharum iſtorum nativa. *Eg:* Cælum; *Egi:* Cæleſtis, Syderius, Cælitus; *Egiárás:* Curſus orbium Cæleſtium; à quo *Enaries, & Enareas*, literis tranſpoſitis per Antitheſin, ut pro g; n pro i; a. pro a; e. & per Epentheſin interpoſita litera i; In quibus Metaplaſmis frequentem eſſe Linguam Ungaricam diſq. 94. dictum. HINC *Egiiárásból jövendölö*, Aſtrologus. *Egiiáráſtanito*, Aſtronomus.

146. *Amaxampeus* eſt in his tribus nominibus *Amâ Szent Ut*, Illa Sacra Via. Sic HERODOT dicto lib. cap 52. *Eſt fons in finibus regionis Scytharum &c. qui locus unde emanat, Scythica lingua Amaxampeus, Græca autem lingua, ἱερὰι ὁδοὶ, id eſt, ſacræ viæ. Amá* ſive *Amaz*, Ungaris eſt, Ille, Illa, Illud, & Ipſe &c. *Szent:* Sacer, Sanctus. *Ut:* Via. An rideor ſine exemplo? Notabile hoc Bodini de Ovalonibus, (quos HELVETII Walch/ Germani Walloner/ Wallen & Welſche/ quo nomine exteros omnes indifferenter, ſi Germani non ſint notat vulgus Argentinenſ. *Britanni* Wallos *ſeu* Gallos *vocant.* Epiſt. ad Guillelmum Lenormantium in Appendice ad Res HUNGARICAS. Sed hæc obiter) Method. Hiſt. cap. 9. *Ovallones enim à Belgis appellamur, quod Gallis veteribus contigit, quum orbem terrarum peragrarent, ac mutuò interrogantes quærerent* ou allons nous, *id eſt, quonam proficiſcimur? ex eo credibile eſt Ouallones appellatos.* Ex quibus liquet particularia ſupra dicta nomina locorum, conjunxiſſe corruptè tranſpoſitis literis per Antitheſin, Herodotum. Corruptionis. Arguit illum cap. 81. lib. dicti, qui pro *Amaxampæus, Exampæus* ſcribit: *locus nomine Exampæus, cujus etiam aliquando ante habuimus mentionem.* Per quam corruptam contractionem itidem *Exampeus* ſcribunt Julius Solinus Polyhiſtor cap. 24. Pomponius Mela de Situ Orbis lib. 2. cap. 1. Et magis *Ex Amphe diviſim, & corruptè legitur apud Iſidorum.* Ortelius Theſaur Geograph. in verbo Exampæus, ac apud Jornandem de Reb. Get. cap 5. *cui ex Ampheo nomen eſt.* Gruterus hoc loco: *Mſſ. noſtri duas voces compingunt in unam, cui Exampheo &c.*

147. Nomen *Scolotis*, Regis cognomen, Scythis omnibus fuiſſe, quos Scythas Græci appellavere, ex HERODOTO dictum diſq. 96. Hujus communis appellationis veſtigium extat adhuc in HUNGARIÆ Caſtro *Soklos* propè Danubium non procul à Quinq; Eccleſia ſitum, nobilis captivitate Sigiſmundi Regis HUNG. &c. de quo legendus Thvvrocz part. 3. cap. 9. *Soklyos, Soklios & Sokios* hodierni Geographi ſcribunt. Verum *Soklos* rectè habet Tabula antiqua HUNGARIÆ per Lazarũ Thomæ Strigonieñ. Cardin. Secretarium Virum Expertum quondam congeſta, atq; per Jo. Cuſpinianum edita opera Petri Apiani Ingolſtadiani Mathem. Anno 1528. Idem Thvvrocz ſcribit dicto libro. Hæc denominatio cum ita ſe habeat, haud abſurde applicabimus ad cognomen Scytharum, *Scolotis*, quod literis tranſpoſitis per Metatheſin *Soklos* eſt. Nam c, & k, literæ ita indifferentes ſunt in Ungarica lingua, ut *c ante* a, e, u, *in fine dictionis nihil differat à* k. Albert. Molnar Grammat. Ung. lib. 1. cap. 1. Error quoque facile ab HERODOTO committi potuit, ut per Antitheſin pro litera k, c, ſcriberet. Unde conſentaneum eſt Caſtrum *Socklos* ab Hunno-Ungaris dictum eſſe hac ratione, ut gentilitium nomen Regis & Scytharum, velut expreſſum veſtigium Scythico-HUNNICÆ denominationis, ad ſempiternam poſteritatis memoriam ſuperſtes ſit in HUNGARIA. Quid? Quod Soklos conjunctim nullam etiam rem denotare ſciam, in tota lingua Ungarica præter illam Arcem: Si non perfricta fronte contendere malit quis compoſitum eſſe à *Sok*; multum, & *Lo*; Equus, quod non frivolum ſolum, ſed & violentum eſſet.

148. Poſtremum argumentum eſt in *Situ loci*, Admodum ſignificanter

ficanter Justinus lib. 2. cap. 2. Scytharum situm generaliter describit: *Scythia autem in orientem porrecta, includitur ab uno latere Ponto, & ab altero montibus Riphæis, à tergo Asiæ & Phasi flumine. Multum in longitudinē & latitudinem patet.*

149. Specialiter Herodotus lib 4. cap 20. *Trans Gerrhum sunt ea quæ vocantur regia, & Scythæ optimi pariter & plurimi &c. à meridie quidem ad Thauricam regionem pertingentes: ab aurora vero, ad fossam quam dixerunt illi qui è cæteris geniti fuerunt Oryxam, & ad emporium paludis Mæotidis quod vocatur Cremni, id est prærupta. quorum pars ad flumen Tanain porrigitur.* Hæc Herodotus obscurè & locum ad vivum nosse cupientibus haud satis plana. Ostendendum igitur loci *Qualitas & Quantitas.*

150. In Qualitate videnda fertilitas loci & causa electionis. Thvvrocz ex Annalibus Ungarorum Paludem Mæotidem descripsit part. 1. cap. 4. *Hanc paludem regionem esse, & Persidæ provinciæ vicinam fore: Pontoque illam in gyro vallari: unum tantum vadum habere: aditumque illic & exitum difficilem præbere: herbis, silvis, piscibus, volucribus & bestiis abundare: in chronica posuere Hungarica.*

151. Idem autor d libro. *Vnde ipsarum Hungaricarum Chronicarum primordiis sequitur: Dum enim Hunnor & Magor Nembroth essent primogeniti: à patre eorum separatim in tabernaculis habitabant. Accidit tandem una dierum cum venandi causa ad campum processissent: & illis in deserto una cerva occurrisset: quam cum fugientem insequentes in paludes Mæotidas devenissent: & cerva eadem in crebris silvarum saltibus evanuisset: ipsi eandem diutius perquisitam potuerunt invenire minime. Peragratis tandem Paludibus eisdem: cum illas armentorum pro pascuis optimas fore conspexissent: redeuntes ad patrem ab ipso licentia impetrata cum omnibus ipsorum rebus in ipsas paludes Mæotides intraverunt ibidem moraturi.* Itane fæcunditas Mæotidis Hunnor & Magor excitavit, ut eam incolerent? Ita eandem causam relinquendi & quærendi patriam ponit Seneca Consolat ad Helviam cap. 6. *alios &c. aut aliqua intoleranda infelicis soli vitia ejecerunt: quosdam fertilis oræ, & in majus laudatæ, fama corrupit.*

151. Pari passu in eodem loco cum Annalibus Hungarorum ambulat Priscus Rhetor, de quo Jornandes in Reb. Get. cap. 24. de Origine Hunnorum: *Quorum natio sæva, ut Priscus Historicus refert, in Mæotide Palude ulteriorem ripam insedit, venatione tantùm, nec alio labore experta, nisi quod postquam crevisset in populos fraudibus & rapinis vicinam gentem conturbavit.* Cui omnimodè correspondent Annales ulterius; *Paludes ergo Mæotidas Hunor & Magor adeuntes, quinque annis ibidem immobiliter permanserunt. Anno verò sexto exeuntes dum per desertum vagarentur, rentur, sonitum symphoniæ audierunt: & scrutinii gratia ulterius procedentes uxores ac filias Bereka sine maribus in tabernaculis manentes ac festum tubæ colentes, & choreas ducentes casu repererunt: quas celeri rapina comprehensas simul cum earum rebus in paludes Mæotidas deduxerunt. Contigit autem eosdem in hac rapina inter cæteras Dulæ principis Alanorum duas filias virgines formā præclaras comprehendere, quarum unam Hunor, alteram Magor in Vxores receperunt: ex quibus mulieribus tandem omnes Hunni sive Hungari originem sumpsisse perhibentur. Et hanc quidem rapinam cunctarum prædarum primam nonnulli fuisse dixere* Sic illi.

153. Herodotus verò aliam causam Scythas exciviſſe è sedibus suis refert, quam vide disq. 72. Causam hanc commutandi sedes observavit Seneca Consol. dicta: *Alios excidia urbium suarum hostilibus armis elapsos, in aliena, spoliatis suis expulerunt.* Et inde est quod legimus apud Procopium in Fragment. lib. 4. de Hunnis qui Cimmerii dicebantur: (disq. d.) *Supra Sagidas Hunnicæ variæ nationes sitæ sunt. De hinc autem Eulysia regio appellatur. Barbari autem ejus incolæ & mediterraneis locis & ad maris litora habitant ad Mæotim usq; paludem & Tanaim fluvium qui in eam paludem influit. Ejus autem regionis accolæ olim quidem Cimmerii nominabantur, nunc autem Vturguri &c.* Et cùm his potius quam cum Annalibus sentio.

154. Quantitas est vel *Continua* vel *Discreta.*

155. *Continuam* quantitatem Paludis Mæotidis, in magnitudine longa, lata & profunda circumscribunt Jornandes & Herodotus lib 4. cap 86. *Pontus Paludem habet influentem in se, non multo quam ipse est minorem, quæ Mæotis appellatur & mater Ponti.* (de Ponti magnitudine vide Herodot. cap. 85. d. l.) *Cujus Paludis circuitus passuum milia* CXLIV, *nusquam octo ulnis altius subsidentis.* Jornandes Get. cap. 5.

156. *Discreta* quantitas est in partibus & regionibus, quas occuparunt Scytho-Hunni, & Paludi possidendo applicarunt, quæ ejus termino non includuntur. Qualiter ab Occasu ad ortum limites propagarunt & sedes habuerunt à Sarmatia Europea usq; in Scythiam extra Imaum montem.

157. Ptolemæus de Sarmatia in Europa Geograph. lib. 3. cap. 5. *Inter Bastarnas autem & Roxolanos sunt Chuni. Et sub propriis montibus Amædici & Navari.* Adde de Hamaxobiis & Chunis eiusdem Tabulam 8. Europæ. Nec aliter refert Agathias lib. 5: *Hunni quondam circa lacum Mæotidem loca incoluere in Arcturum potius versi, ut barbarorum cæteræ nationes, quæ quidem infra Imaum montem Asiam insident, hi omnes & Scythæ & Hunni vocitabantur.*

158. Abhinc tandem speciatim explico Herodoti loca de Scy-

this Regiis, disq. 149. *Trans Gerrhum, sunt ea &c. Gerrhus nomen à loco obtinens, qui à Boryſthene dirimitur circa ea loca apud quæ Boryſthenes cognoſcitur: cui loco nomen eſt Gerrho, diſterminat regionem Scytharum Nomadum & Regiorum.* Herodot. d. l. cap. 56.

159. *Ab aurora verò, ad foſſam &c.* Idem autor ſeipſum illuſtrat cap. 3. *Primam quidem regionem interſepſit ductu lata foſſa, quæ à Tauricis montibus pertingebat ad Mæotim paludem omnium maximam.* Quem locum hac in re liberali manu copioſius perſequitur Jornandes de Reb. Get. cap. 5. pr. *Taurum montem, non illum Aſiæ, ſed proprium, id eſt, Scythicum per omnem Mæotidis ambitum, ultraq; Mæotida per anguſtias Boſphori uſq; ad Caucaſum montem amnemque Araxem, ac deinde in ſiniſtram partem reflexa, poſt mare Caſpium, quæ in extremis Aſiæ finibus ab Oceano Euroboreo in modum fungi primum tenuis, poſt hæc lætiſſima & rotunda forma exoritur, vergens ad Hunnos, Albanos, & Seres usque digreditur.*

160. Cui ſententiæ aſſenſum ſuum præbent Dionyſii Poetæ verſus 728. & ſeq.

Primi quidem Scythæ ſunt qui Saturnium prope mare
Maritimam oram incolunt ad oſtium Caſpii maris
Vnni autem deinceps: poſt ipſos autem Caſpii viri
Albanique ——————

161. In horum veſtigia ad ortum verſus videtur pedem ponere Plinius lib. 6. cap. 17. *Ab Attacoris gentes Thyri & Tochari*, de quibus diſq. 75. 76. dictum, *qui Bactrianis vicini fuerunt* Philippus Chronic. lib. 3. Ptolemæus Geograph. lib. 6. cap. 11. & Tab. Aſiæ 7.

162. Ab his eſt, quod occurrit ex oppoſito apud Plinium dicto libro: *Et gens Attacorum, apricis ab omni noxio afflatu ſeclusa collibus eadem, qua Hyperborei degunt, temperie.* Et Ptolemæum de Ottorocorrhis Geograph. lib 6. cap. 16. *Auſtrales juxta Emodos montes, & Sericos Ottorocorrhæ.* De his Petrus Montanus in dictum librum Ptolemæi & Ortelius Theſauro Geograph. in verbo Ottorocorræ: *Sunt ejusdem Regionis Ptolemæo, quos Plinius Attacoros appellat.* Ottorogorum flumen quoque nominat hoc tractu Oroſius lib. 1. cap. 2: *A fonte fluminis Ottorogorræ, qui ſunt à ſeptentrione ubi ſunt montana Paropamiſſadæ, mons Taurus: à fontibus Ottorogorræ usq; ad civitatem Ottorgorram inter Hunnos & Scythas & Ganderidas, mons Caucaſus:* Vnde ſupra diſq 79. Otteguouri Outrogori dicti ſint, ex his diſcimus.

163. Ad Septentrionem verſus ab Oceano glaciali uſq. in Tauricam habitabant ad Meridiem. Herodoti locus ſupra 148. diſq. plagæ Septentrionali inſinuatus eſt: *Ad emporium Paludis* &c. ad finem. Huic finitima ſunt verba Herodoti cap. 57. *Tanais qui è vaſta palude profluens, in aliam*

in aliam vaſtiorem diffunditur, nomine Mæotim, quæ diſcludit Regios Scythas à Sarmatis. Nec aliud refert de perpetuæ hiemis ſævienti tractu Hunnorum Ammianus Marcellinus lib. 31. cap. 2. *Hunnorum gens, ultra paludes Mæoticas glacialem Oceanum accolens.*

164. *A Meridie ad Thauricam regionem pertingentes* &c. (quæ Ponto Euxino alluitur.) Herodot. ſupra. d. Jornandes eadé de Hunnis, in Reb. Get. cap. 5. *ſupra mare Ponticum Bulgarorum ſedes, quos notiſſimos &c. Hinc jam Hunni quaſi fortiſſimarum gentium fœcundiſſimus cæſpes, in bifariam populorum rabiem pullularunt. Nam alii Aulziagri, alii Aviri nuncupantur, qui tamen ſedes habebant diverſas. Iuxta Cherſonem Aulziagri, quæ Aſiæ bona avidus mercator importat, qui æſtate campos pervagantur effuſos, ſedes habentes, prout armentorum invitaverint pabula; hyeme ſupra mare Ponticum ſe referentes. Hunugari autem hinc ſunt noti, quia ab ipſis pellium murinarū venit commercium: quos tantorum virorum formidavit audacia &c.* Non tacendum hoc loco Bonfinium dec. 1. lib. 2. præter Jornandi mentē accipi Hunugaros pro diſcreta gente ab Hunnis. Non ea eſt Hiſt. Strabonis Geograph. lib 7. *Scenæ Nomadum ſub coactitio genere compactæ, infixa ſunt vehiculis in quibus ii degunt: circum eas verſantur pecora, quorū lacte, caſeo, & carnibus victum ſuppeditant: ſequuntur autem ipſi paſcua, ſubinde herboſa occupantes loca: hyeme in paludibus Mæotidi propinquis, æſtate etiam in campis.*

165. Venio ad *tertiam* & ad penitentiorem Hungaricæ proſapiæ *Lineam*: eaque perſpicua fit *ex illa triplici ratione qua utebamur; ſcriptorum, inquam, fide perſpecta, linguæ veſtigiis, & regionis ſitu.* Bodin. d. l. cap. 9.

166. Hunnos, Avares & Hungaros unam eandemque gentem fuiſſe, certò uno omnes ore confirmant. uti Jornandes Liuthprandus. ſupra dicta diſq. 164. Hiſt. lib. 2. cap. 1. Nicetas Choniates lib. . Sabellic. Rapſod. Hiſt. Ennead 8. lib. 1. & 5. Jo. Nauclerus Tibingenſis in Chronographia. Beatus Rhenanus Rerum Germanicarum. Pomponius Lætus in Romana Hiſt. lib. 2. Matthias à Michova de Sarmatia Aſiana atq; Europea lib. 2. cap. ult. 5. Sigiſmundus Baro ab Herberſtein Comment. Rerum Moſcovit. cap. de Itinerario ad Petzoram Jugariam &c. Paulus Baruta diſc. Polit. 2. lib. 1. Jus Conſuetudinarium Regni Hungariæ, & Annales & Chronologiæ, quotquot extant hodiè, excepto Ranſano qui diſcriminabat Hungaros ab Hunnis Epit. Rerum Hung. Indice 7. ſed mutata ſententia non dubitavit hæc ſcribere d. Ind. *Cæterum ejus, quod hoc loco affirmo, habeo auctorem, quem ſequi non vereor, Eliuium videlicet, probatum Hiſtoricum, natione Francum &c. Is anno Ieſu Chriſti M. CC. LXXII. ſcripſit opus egregium, licet rudi ſermone, quo expli-*

cuit originem gentium omnium barbararum, quæ à Magni Constantini temporibus, ad suam usque tempestatem, varias orbis terræ partes tenuere Prodidit igitur scriptoris diligentissimus operis sui lib. 5. &c. Hunnos & Hungaros, eandem fuisse gentem &c.

167. Ei sententiæ refragantur Æneas Sylvius Pius II Pont. M. cap. 29 de Secunda Asiæ parte. Aventinus lib. 1. & 4. Annalium Bojorum. Franciscus Irenicus Germaniæ Exegesios lib. 1. cap. 34 quem sequitur Jacobus Spiegelius Scholiis in Guntheri Poetæ lib. 6. & in Austriados lib. 1. Bartholini Perusini. Lazius in deß Königreichs Hung. Chorographisch. beschreib. cap. de Hunnis. pr. & de Avaribus.

168. Pio Pontif. se opponit Bonfinius dec. 1. lib. 1. *Pius Pontifex maximus, huic opinioni, nescio quo affectu, refragatur: nisi fortasse isto, quia quum vates esset optimus, Vngarosque vaticinaretur paucis post temporibus Alemanos suos, quos tantopere ac jure dilexit, facilè domituros, iniquo ferebat animo, eos aliquam nobilem originem sortiri.* & dec. 1 lib. 2.

169. Lazius etiam sibi ipsi non bene constat. Nam modo Hungaros ab Avaribus esse vult, dicto libro cap. de Sarmat. Vandal: *Avares* davon die Hungern herkommen. Et cap. de Vandalis, Slavis; Hungaros Avares ejecisse ex Pannonia. Et cap. de Avaribus: Siculos Transylvanenses ab Avaribus esse; quos cap. de Hunnis: à filio Attilæ Ellach in Dacia defluxisse opinatus est, de quibus disq. 193.

170. Irenicus d. l. somniat. *Hunni Germanica lingua utebantur, ut qui vitam Attilæ scripserunt, satis demonstraverunt, Hungari verò semper alienissimam ab idiomate Germanico sortiti sunt, unde & ego adductus sum, nec Hungaris facilè originem Germanicam concesserim.* & cap. 35. *Hunnos rigor sermonis Germanos esse prodidit, Vngaros autem alienos.*

171. Eadem imbutos opinione priori sæculo fuisse aliquot, inducor à Thvvroczio part. 1. cap. 8. *voluere nonnulli, maxime frater Martinus, qui Romanæ Historiæ compendium generavit, quod hæ tres nationes, puta Hunni, Gothi, & Wandali, una eadem essent generatio: & ejusdem fuissent labii sive linguæ, tantummodo nominibus differrent. Nulla ratio admittit: nec illi quibus hæc placuêre, evidenti suam intentionem documento probant. Nam Hunni Gothos propriis de sedibus expulissent minimè, si Hunni & Gothi eadem generatio fuissent. Præterea Gothi priores Hunnis, dum nec Hunnorum audiebantur strepitus Romano imperio infesti fuere, Wandali autem longè post Hunnorum egressum Scythicis de partibus erumpentes. &c.*

172. Quod si quis ulterius in dubium vocaverit, is audiat Priscum Rhetorem & Jornandem. Respexit huc Priscus cum secum ipse loqueretur: *nescio quis, quem barbarum, & unum aliquem ex Scythico exercitu esse rebar. Græca voce me Salutavit dicens χαῖρε. Mirari ego quî fieret, ut Græcè loqueretur vir Scytha: etenim intra sua concluſi, barbaricam linguam colunt & affectant, neq; tam Hunnorum, quam Gothorum, aut etiam Ausoniorum, hi scilicet, quibus cum Romanis frequentius est commercium &c.* Excerpt ex Hist. Goth. pag 109. Idem pag. 119. de Zeuchone Mauruſio monstroso homine (quem Zerconem vocat Suidas) qui in Convivio Attilæ *tunc arrepta festivitatis occasione progressus, & forma, & habitu, & pronuntiatione, & verbis confuse ab eo prolatis, modò Ausoniorum, modò Hunnorum, modò Gothorum intermiscens, &c.*

173. Tum apud Jornandem expressum videas (qui tempore Justiniani claruit, seque ex prosapia Alanorum professus est, de Rebus Get cap. 50.) dicto libro cap. 24. Hunnorum linguam Gothicam non fuisse: *quasi hominum genus, nec alia voce notum, nisi quæ humani sermonis imaginem assignabat.*

174. En Hunnos Germanos Hungarica lingua! En Barditum novum Scriptorum ut lubet rideto, à quibus absunt prisci illi Duumviri Priscus Rhetor & Jornandes. Stat ergò sententia clangorem Ungaricæ linguæ penes Hunnos fuisse; Excepit hunc ab Hunnis in Scythia prolatum Jornandes de Rebus Get. cap. 52. Cum *Attilæ filii contra Gothos, quasi desertores dominationis suæ, velut fugacia mancipia requirentes venirent; ignarisque aliis fratribus super Walemir solum irruerunt. Quos tamen ille, quamvis cum paucis, excepit; diuque fatigatos ita prostravit, ut vix pars aliqua hostium remaneret, quæ in fugam versa, eas partes Scythiæ peteret quas danapri amnis fluenta prætermeant, quæ lingua sua Hunnivar appellant.*

175. Hîc murus aheneus esto! Hunnivár est vera imago sive typus totius linguæ Hunnorum! Cujus umbra ita repræsentat Ungarorum Sermonem, ut vix ac ne vix quidé sit hoc Gothico-Germanicum Hannen ward: multò minùs ut quidam volunt *idem cum danapro*; aut perindè explicat Bon. Vulcanius not. in Jornand. cap. d. *Trajectum Hunnorum.* Ideò, significabit *Hunnorum Arcem*, vel potiùs *Sedem, Civitatem, Expectationem*; per Compositum: nimirum Hunni & *Vár*, sive *Váras* &c. Quin *Vár*; Arx. *Váras*; Civitas. *Várás*; Expectatio &c. de quibus videri potest disq. 89. Hanc ipsam interpretationem nisi veram credamus; admodum caligabimus in his compositis locorum denominationibus *Posonivár, Colosvár, Ovár, Valkovár, Vasvár, Egervár, Welvár, Vivár, Zytvár, Temesvár*, & compluribus aliis appellationibus Civitatum & Castrorum, quæ in Hungaria fermè ad radices vel apices montium posita sunt. Locorum hæc nomina plerique efferunt voce Germanica per *Purgum, quod plane Græcum est (πύργος) à nobis; nos Villam & Castrum accepimus à Latinis.* Berg *Celtium vetus, quod montem significat, quo etiam*

nunc utuntur Germani Bodin. Method. hist cap 9. Ut in denominatione *Posonivar*; Prespurg. *Ovár*; Altenburg. *Colosvár* Clausenburg & sic in consequentibus.

176. Et hæc magis genuina significatio est quàm aliorum: cui potissimum rationi incumbunt verba supra dicta: *eas partes Scythiæ peteret quas danapri amnis fluenta pretermeant.* Mendosè disq. 100. in fine: *danubii amnis* ex Editione Jo Leunclai Basil. in fol. & Bon. Vulcanii in 8. Lugd. Batav. scriptum est. Equidem Vulcanius notis ad Jornand. variarum lectionum adjecit *al. danapri.* Quam lectionem confirmat. *ita Pal. alter, à manu castigatrice, cum prius ibi fuisset Danabri. Pal. pr. quas danubri amnis,* Gruterus not. in Jornand. d. l. Tametsi Danaper iste à diversis autoribus *Dnyeper, Nieper, Dnester, Nester, Danaster,* nuncupatur, tamen Borysthenem Sarmatiæ Europææ fluvium esse, pluribus demonstrat Ortelius Thesauro Geographico in Verbo Danaper & Borysthenes. Isthic Chunnos & Scythas Regios & Hunnos omnes habitasse usque in Scythiam intra Imanum paulò ante indicavimus.

177. Ergò *eas partes Scythæ &c. lingua sua Hunnivár* hoc est Hunnorum Arcem, Berg/Burg/Villam per Metaphoram cum urbibus caerent & in carpentis habitarent, appellabant hac de causa quod illa pars, natalitio solo venientes & è vitæ periculo elapsos, incolumes exceperit; hærentes bene habuerit & naturali munimento latibulis suis clausos tenuerit ab omni hostili impetu & injuria.

178. Vestigium linguæ Ungaricæ ex nomine Attilæ postmodum declaraturus, nunc haud quaquam prætereūdum hoc Eginhardi in Annalibus Rerum Gestarum à Carolo Magno Anno DCCXCVI. *Pipinus autem Hunnis trans Tizam fluvium fugatis, eorumq; regiá, quæ ut dictum est, Ringus, à Longopardis autem Campus vocatur &c.* Vestigium hujus nominis & non loci latet in hoc Ungarico *Rigomezö* id est Campus Merulæ, non incognitus clade Jo. Huniadis, acceptâ quarto sui gubernaminis anno, à Cæsare Turcarum Amurate in finibus Bulgariæ, ubi se animosus Heros cum copiis viginti quatuor vel paulo plus, millium pugnatorum, contra hostem illum Christiani nominis plusquam ducentis armatorum millibus tumentem, opposuit, videatur Thvvrocz part. 3. cap. 46.

179. Nequaquam obstat Lazius Chorograph. Beschreib. Hung cap. dicto de Hunnis: qui conjectat illos Vandalicè sonasse: wie aus Agathio vnnd Appollinari mag abgenommen werden sind nicht Hungern gewest / sondern haben ein Windisch sprach gefüret. Locum dare videtur huic conjecturæ verbum *Strava* apud Jornandem de Rebus Get. cap. 49. de Magnificis Exequiis Attilæ: *Postquam talibus lamentis est defletus, stravam super tumulum ejus quam appellant ipsi, ingenti commessatione concelebrant, & contraria invicem sibi copulantes, luctum funereum mixto gaudio explicabant.*

180. Strawa quidem Vandalis sive Slavis est Commeatus, quod Germanis Zehrung; num verò Vandalicum nativum verbum? ecce Rhodus, ecce Saltus. Nam si Herodoti hoc verbum lib. 4. cap. 116. de Sauromatis: *Sauromatæ putantur linguâ Scythica Solæzitare id est corruptè uti; quod eam ab initio non probè didicerint Amazones.* Sequitur sine ulla contradictione Stravam fuisse purum Scytho-Hunnicum vocabulum. Siquidem Sauromatæ qui se Amazonibus conjunxerāt Scytharum Regiorum degeneres liberi fuerunt, de quibus Herodot. lib. 4. cap. 110. 111. & seq. A Servis illorum, ortos putabat Plinius lib. 4. cap. 12. qui Sarmatæ erant, Græcis Sauromatæ Plin. d. l. & Jornand. Get. cap. 50. Slavonica gens variæ appellationis, teste Melanchtone in Tacit. Germ. Explicat. Vocabulorum Regionum & Gentium: *Vandalos gentem Sarmaticam esse existimem, quos vocamus* Wenden *&c. Sunt autem variæ illius unius gentis appellationes, quarum aliquæ sono non multum discrepant, Venedi, Fenni, Vandali alibi Sclavi vocantur.* Idem ex hoc Ortelius Thesauro Geograph. in verbo Vandali. *Ex iisdem gentibus derivati sunt atq; diffusi Rossi, qui & Roxani & Roxolani, vocantur hodie Moschi.* Chronic. Carionis lib. 4. de Sarmat.

181. Quæ cum ita sint, perspicuum fit Stravam esse purum Scytho-Hunnicum, & sic consequenter Ungaricum vocabulum, quo Hunni Silicernium, quod ingenti commessatione concelebrabant, denotabant. Sic hodiè in plerisque locis, Germanis Commessatio civili verbo Zehrung est, quod etiam Argentinensibus Abentzehren. Hungaris Silicernium hodiè *Halotti lakodalom.*

182. Neq; contradicit nobis Albertus Molnar Grammat. Ungar. lib. 1. cap 2. Canone 3. *A duabus consonis nulla incipit vox Vngarica; à peregrinis autem mutuata vocabula sic proferunt adhibitis vocalibus, ut pro Schola dicant indifferenter* Eskola Jskola &c. Etenim nulla regula est ita generalis ut non patiatur exceptionem: ita ipse excipit peregrina hæc *Struzmadár*; Struthio, & *Prüszentes*; Sternutatio. Et in Lexico suo quam plurima vocabula incipientia à duabus consonantibus ponit; utpote: *Practica*; Technæ. *Preda*; Prædæ. *Predicátio*; Concio. *Prees*; Prælum. *Prepost*; Præpositus. *Proba*; Probatio. *Profecia*; Prophetia. *Profont*; Proviant. *Prókátor*; Procurator. *Prosalni* Prosas canere. *Protestálás*; Protestatio. *Prusz*; Prutenus. *Psalmos*; Psalmus. *Scarapla*. Scorpio. *Spácialoc*; Spacior & alia multa à Sp. & Sc. Tr. Pr. inchoantia. Item pura

Hun-

Hungarica, *Drága*; Pretiosus, Carus. *Pribec*; Transfuga. *Ptrütsic*; Cicada, Archeræ. *Straſa*; Vigilia, Excubatio. *Treſa*; Jocus. *Tréczelő*; Gatriens, Blatero. Sic quidam etiam primori ex Hunnis *Scota* nomen fuiſſe ſub Attila Priſcus ſcribit Excerpt. ex Hiſt. Goth. pag. 89. pr.

183. Undè jam concludo *Strava* utendum eſſe in lingua Vngarica pro Silicernio, ne linguæ penuriæ in denominationibus rerum culparentur Hungari, quaſi ut plurimum circumſcriptione uterentur. Sic Galleotus Martius Dict. & Fact. Matth. Regis cap. 28. de Lingua Ungarica: *Habent etiam linguæ penuriam in nominibus provinciarum. Nullam enim nomine ſuo nuncupant, ſed circuitione utentes gentile nomen ponunt, adduntque regnum* Olaiz Orſzág *dicunt Italiam; quod ſonat Italorum regnum.* Tot Orſzág *quod Sclavinorum regnum.* Nemet *autem* Orſzág *eſt Germanorum regnum. Et ſic de ſingulis.* Habet etiam multa Sclavinorum vocabula &c. quæ non diſcriminanda amplius ab Ungaricis. Nam quæcunque Sclavonica conveniunt cum Ungaricis, ſpirant nativum illum Scythico-Hunnici ſermonis odorem, corruptè uſurpatum à Sauromatis, ut ſupra Herodotus retulit. diſq. 180.

184. Satis vocales fuimus in lingua Hunnorum; jam ad *Situm loci* illorum properabimus, ſi prius adjecerimus Vulcanium Not. in Jornand. d. l. contendere Stravam Gothicum vocabulum eſſe, à verbo Straffen; quod ſupplicium & pœnam ſignificat. Quia ſepulturam Attilæ Hunni *non hoſtilium tantum Exuviarum acervis ad tumulum congeſtis, ſed captorum cæde parentaſſent.* Conjecturam hanc deſumpſiſſe puto Vulcanium ex verbis iſtis Jornandi cap. dicto 49. in fine: *operi deputatos deteſtabili mercede trucidarunt, emerſitq; momentanea mors ſepelientibus cum ſepulto.* Qui non erant è captivis, ſed Pellice & famulis Attilæ more Priſcorum Regum Scytharum, de quorum exequiis Herodotus lib. 4. cap 71. *In reliqua loculi ſpatioſitate aliquam ejus pallacam ſtrangulatam ſepeliunt, & eum qui vinum miſcebat: & cocum & equiſonem & miniſtrum & eum qui erat à nuntiis, nec non equos & aliarum rerum omnium primitias* &c. Idem cap. 27. Proindè *Strava* non eſt Gothicum, quod & diſq. 172. & 173. probatum, Hunnorum linguam alienâ à Gothica fuiſſe. Tenendum ergo eſt ſignificare Silicernium; mos iſte fortè ſub Attila incæperat cum olim privatorum Scytharum communis fuiſſet Herodot. d. l. cap. 73. *Alios autem Scythas, quum deceſſerint, proximi quique in plauſtris collocatos ad amicos circumferunt, eos ſinguli amicorum excipientes, epulum cadaver comitantibus præbent; tam propinquus quam cæteris. Ad hunc modum quadraginta diebus privati homines circumaguntur.* Abolitis cæteris ſolennitatibus, pleriſque in locis Hungariæ conſuetudo epulandi adhuc hodie obſervatur.

Pau-

185. Paulus Oroſius Hiſt. lib. 7. cap. 33. in genere de Hunnorum antiquâ ſede hoc profert. *Gens Hunnorum diu inacceſſis ſecluſa montibus erumpens repentina rabie percita exarſit in Gothos &c,*

186. Specialem diligenter annotavit D. Hieronymus Epiſt. dicta ad Oceanum: *Ecce ſubito diſcurrentibus nuntiis Oriens totus intremuit: ab ultima Mæotide, interglacialem Tanaim & Maſſagetarum immanes populos, ubi Caucaſi rupibus feras gentes Alexandri Clauſtra cohibent, eruperunt Hunnorum examina, quæ pernicibus equis huc illuc volitantia cædibus pariter ac terroribus cuncta compleverunt.* Ex hoc lib. 2. Annalium Bojorum Aventinus ubi de Honorio agit; & Conradus Geſnerus in Onomaſtico Propriorum Nominum, in nomine Hunni. Idem refert. Gaſpar Ens Rerum Hungar. lib. 1.

187. Hieronymum explanat verſus 323. Claudiani in Rufinum lib. 1. de Hunnis.

Eſt genus extremos Scythiæ vergentis in ortus
Trans gelidum Tanaim ——————

& magis Sidonius Carm. 2. verſ. 242. de Hunnis quoque.

—— *quéis tale ſolum eſt, muriq;, genuſq;*
Albus Hyperboreis Tanais qua vallibus actus
Riphea de cauſe cadit, jacet axe ſub Vrſæ.

Idem Carm. 5. verſ. 485.

Caucaſus & Scythicæ potor Tanaiticus undæ.

Et Pius II. Pon. M. de Secunda Aſiæ parte cap. 29. *Hunni tranſmiſſa Mæotide, omnem barbariem inter Tanaim & Danubium, occupavere: ex his magnus ille Attilas ortus eſt.* Idem Matthias à Michova de Sarmatia Aſiana & Europ. lib. 1. cap. 14. & lib. 2. cap. 5. Huc colloco Jornandis verba de Rebus Get. cap. 5. *In cujus Scythiæ, medio eſt locus, qui Aſiam Europamq; ab alterutro dividit Riphæi montes, qui Tanaim vaſtiſſimum fundunt intrantem Mæotida.*

188. De Tanai iſto aliter atque D. Hieronymus, Claudianus & Eraſmus in libro dicto Hieronymi, ſentit Jornandes d. cap. *Tanaim verò hunc dico, qui ex Riphæis montibus dejectus adeò præceps ruit, ut quam vicina flumina ſive Mæotis, vel Boſporus gelu ſolidetur, ſolus omnium confragoſis montibus vaporatus, nunquam Scythico durescit algore.*

189. Caucaſi montis juga, quæ inter Pontum Euxinum & mare Caſpium usque ad Riphæos montes cingunt Scythiam, circumſcribit Plinius lib. 5. cap. 27. *Taurus mons, ab Eoo veniens litoribus, Chelidonio promontorio diſterminat. Immenſus ipſe, & innumerarum gentium arbiter, dextro latere Septentrionalis, ubi primum ab Indico mari exurgit, lævo Meridianus, & ad Occaſum tendens: mediam q; diſtrahens Aſiam, niſi op-*

 prum-

primenti terras occurrerent maria. Resilit ergo ad Septentriones, flexusque immensum iter quærit, velut de industria rerum natura subinde æquora opponente, hinc Phœnicium, hinc Ponticum, illinc Caspium & Hyrcanium, contraq; Mœoticum lacum. Torquetur itaque collisus inter hæc claustra, & tamen victor, flexuosus evadit usque ad cognata Riphæorum montium juga, numerosis nominibus & novis, quacunq; incedit insignis: Imaus prima parte dictus, mox Emodus, Paropamisus, Circius, Chambades, Pharpharides, Choatras, Oreges, Oroandes, Niphates, Taurus. Atque ubi se quoque exuperat, Caucasus: ubi brachia emittit, subinde tentanti maria similis, Sarpedon, Coarcesius, Cragus iterumq; Taurus, etiam ubi debiscit, seque populis aperit: portarum tamen nomine unitatem sibi vindicans, quæ alibi Armeniæ, alibi Caspiæ, alibi Ciliciæ vocantur. Quin etiam confractus, effugiens quoq; maria plurimis se gentium nominibus hinc & illinc implet: à dextra Hyrcanus, Caspius: à læva Pariedrus, Moschicus, Amazonicus, Coraxicus, Scythicus appellatus. In Vniversum verò Græce Ceraunius. hactenus Plinius: huc adde quæ de Caucaso hoc scripsit Jornand. in Get. cap. 7.

190. Hunno-Avarorum sedes ab Historicis satis luculenter aliter non demonstrantur, præterquam fuisse eos ex genere Hunnorum. Callistus Hist. Ecclesiast. lib. 18. cap. 3. *Quandoquidem autem Caucasiorum, atque etiam Borealium Scytharum mentionem intulimus* &c. Vide locum disq. 101. Idem Simocat. lib. 7. Hist. Sic etiam Lazius Bel. Hung. &c. cap. de Avaribus; Woher sie khumen sind / wird von den Scribenten nicht außfürlich angezeigt / dan das der gemein consens der Historiographen ist / das sie Hunni solten gewest sein / aber nicht von den Hunnis dariber Athila geregieret ꝛc. Sundern solten auß Scythia von newen an khumen seyn / darinnen nur der Hunnen geschlecht gewonet. Imò ab illis, nam pars illa profugiens Hunnorum, repetiit Scythiam, hoc est patriam suam de qua disq. 174. adi & dictam disq. 101. Idem Simocat. de Legat. Rom. ad Gentes, Excerpt. ex Hist. lib. 2. de Bolocalabra: *Vir erat natione Scytha, Bolocalabra nomine. hic tum temporis periculosum perpetravit facinus: siquidem cum unà ex concubinis Chagani rem habuit, & brevi voluptate inescatus, in magnas mortis retes se conjecit. Veritus autem ne aliquando facinus hoc deprehensum ingentes pœnas parturiret, persuasis ex subditis hominibus septem profugit ad antiquam à qua ortierant gentem. Hunni ea sunt. habitantes orientem.* Imò iterum Lazius d cap. de Hungaris: dan wie auch Jornädes schreibt / haben von alter zeit da Anastasius vnnd Justinianus dem Keyserthumb vorstunden neben den Hunnis ob den porten Caspias geheissen gewonet etlich Völcker von Gog vnd Magog herthümen / als nemlich *Avares, Hungari, Vngri, Vlciaguri, Magori* vnnd *Turci*, welche alle Völcker nach einander von Gott erwegt zur straff seinem Volck. (vide disq. 59.)

191. Adventus Hunno-Avarorum tempore Anastasii, verum situm illorum facit apud Procopium de Bello Persico lib. 1. *Ascendenti quoque Iberorum montes semita quædam in angustia multa stadiis supra quinquaginta producitur, ea siquidem via in abrupto quodam ac penitus invio desinit loco: exitus autem nusquam apparet, præterquam porta quadam à natura inventa, quæ Caspia antiquitus dicitur. Hinc campi sunt equis apti pascendis, & aquis multis absq; arte referti, alioquin supini, ubi Hunnorum gentes ferè omnes habitant usq; in Paludem Mœotidem pertinentes. Hiænim si quando per portam supra nominatam in Persarum seu Romæorum regionem exeunt, pernicibus eunt equis, nulla utentes circuitione itineris, etiam si in præruptas inciderint loca, præterquam quinquaginta illa stadia, quæ ad montes Iberos pertinent. Per alios autem quosdam exitus euntes multo labore veniunt, neque eisdem utentes equis: periodos enim ipsos circuire multas necesse est, ut has portas præruptas ac præcipites evitent. Quod Alexander Macedo animadvertens, muniminis ac brevitatis gratia dicitur eas ædificasse, præsidio ibidem relicto, quod postea quum alii plures, tum Aribazutes habuére. is genere Hunnus Romæis & Anastasio principi amicus fuit, qui postquam in senectutem ultimâ pervenit, jamjam moriturus Anastasio per Legatos se præsidio portisq; cessurum promisit, si pecuniam tribuat. Ille verò, ut qui nihil inconsulto aut temerè faceret, cogitans quod milites in ea loca mittere, ut deserta rebus omnibus, minimèq; subditis Romæorum vicina nequaquam commodè poterat, gratiam quidem homini ob ejus benevolentiam se dixit habere, rem verò hanc se nulla ratione curare. Aribazutes non multo post ex eo morbo decessit, portas, deinde Cabades (Regis Persarum filius) ejectis per vim illius filiis possedit. Anastasius autem postquam inducias cum Cabade fecit, civitatem, Anastasiam, ubi erat Dara in Mesopotamia, longe inexpugnabilem atq; pulcherrimam de suo nomine construxit, à Nisibi quoque urbe stadiis nonaginta octo distantem, in Romæorum Persarumque confinibus constitutam. Persæ id ædificium impedire maximè cupientes nequivere, Hunnorum bello occupati.* Sic Procopius item Lazius d. loco.

192. Ultimo loco de Caucasiis Portis sciendum hoc Plinii lib. 6. cap. 11. *Portæ Caucasiæ magno errore à multis Caspiæ dictæ, ingens naturæ opus montibus interruptis repentè, ubi fores obditæ ferratis trabibus, subter medias amne Dyriodori fluente, citroque in rupe castello (quod vocatur Cumania) communito ad arcendas transitu gentes innumeras: ibi loci terrarum orbe portis distluso, ex adverso maximè Harmastis oppidi Iberum.* Qui plura cupit cognoscere legat librum Strabonis 11. Geographiæ.

193. Hungarorum Situm Liuthprandus nobis Suppeditat lib.

1. cap. 2. *Hungarorum gens &c. Quibusdam namque difficillimis separata à nobis erat interpositionibus, quas clausas nominat vulgus, neq; ad meridiem, neq; ad occidentalem plagam exeundi habuerit facultatem.* Satis perplexus & obscurus locus, qui non immeritò Beato Rhenano stomachum movit Rerum Germ lib. 1. *Hæc fuit illorum temporũ infelicitas, ut obscurè res tradrent. Sic quum Iornandem qui de Gothis scripsit, Paulum item Diaconum & Liuthprandum de Langobardis legimus, juret quis fabulas ab illis narrari, ita parum explicant unde gentes suæ progressæ sunt, & quas olim tenuerint sedes.*

194. Pergit eodem libro de Hungaris & scribit: *Hunnos, qui & Avares &c. Octennali bello Carolus Magnus edomuit, exciditque prorsus. Horum verò nationem unam cui Vgrorum, & Vngarorum nomen &c. velut nihil nocituram illis extinctis, submovit tantum, & vallo quodam obstruxit.* & subdit mox: *Porrò fuerunt submoti inter angustias quasdam, quales erant angustiæ Thracias dirimentes & Daciam, quarum Marcellinus meminit libro 27. cap. 7. Vbi quidam sic conantur legere: Cujus in summitate occidentali, montibus præruptæ densitatis, Vcrorum patescunt angustiæ, Thracias dirimentes & Daciam. Talia quoque fuerunt claustra Sueucunnorum apud eundem autorem, aut eadem fortassis. Inde Claustrini dicti.*

195. Maximo errore hîc lapsum esse Rhenanum nemo mecum inficias ibit. Temporis enim rationem si quis computet, longè ante Carolum Magnum hæc scripsisse Ammianum, & à Nervæ principatu ad Valentiniani & Valentis Impp. obitum perduxisse historiam suã, comperiet. Tum & novum est Hungarorum nomen & multo recentius quam Hunnorum, quos autor dictus nunquam Ucros, sed Hunnos & Chunos nominavit disq. 76. & 77. Scribitque constanter pro Ucrorum lib. 21. cap. 17. *Succos* &c. & cap. 28. *Succorum angustias*, ita etiam lib. 27. cap. d. *Succorum patescunt* & quam lectionem retinent Lindenbrogius. *Succi opidum hoc inter Thraciam & Daciam, Truckuest hodiè, ibi munimentum esse putat Lazius lib. 12. R. P. Romanæ.* Ortelius Thes. Geograph. in verbo Succi. Quamvis etiam Priscus Rhetor tempore Attilæ nomen *Vrogi* & *Hunoguri*, Jornandes tempore Justiniani *Hunuguri* scribant disq. 81. Usitatius tamen illis temporibus erat Hunnorum nomen; Hungarorum verò novum & ignotiùs Provincialibus usque ad Arnulphum Imperatorem. Reclamat quoque Philippus Chronic. Carion. lib. 3. *Quod verò quidam narrant, Carolum potitum esse Panonia. & coloniam eo deduxisse, inanis fabula est.*

196. Quapropter Reginonem Prumiens. Monachum lib. 2. Chronic. sequimur: *Gens* inquit *Hungarorum ferocissima & omni belua crudelior, retro ante seculis ideò inaudita, quia nec nominata à Scythicus regnis & à paludibus, quas Tanais sua xefusione in immensum porrigit, egressa est.* Convenit situs iste cum Hunnorum, de quo ex Divo Hieronymo supra disq. 186. & seq. dictum, ut & locus Liuthprandi cum Claustris Alexandrinis de quibus abunde superius disputatum. Idem Lazius disq. 190. Confirmat horum positiones Jornandes de Rebus Get. cap. 5. *Hunugari autem hinc sunt noti, quia ab ipsis pellium murinarum venit commercium: quos tantorum virorum formidavit audacia. Quorum mansionem primam esse in Scythiæ solo juxta paludem Mæotidem, secundo in Mæsia, Thraciaque & Dacia, tertio supra mare Ponticum, rursus in Scythia legimus habitasse: nec eorum fabulas alicubi reperimus scriptas, qui eos dicunt in Britannia, vel in una qualibet insularum in servitutem redactos, & unius caballi precio quodam redemptos. Aut certè si quis eos aliter dixerit in nostro orbe, quam quod nos diximus, fuisse exortos, nobis aliquid obstrepit, nos enim potius lectioni credimus, quam fabulis antiquis consentimus.*

197. Ex quibus omnibus, luce meridianà clarius; Hunnos, *Avares*, & *Hungaros* unam eandemque gentem fuisse variis nominibus, in plures generationes divisas quemadmodum Germani, ut falsò contra existimabat Aventinus 1. Annalium Bojorum: *Vgri &c. una gens non in plures nationes divisa, ut cæteri Germani.* Quorum cognati in hodiernum diem usque per Asiaticam Scythiam effusi & Tanais ortum accolentes, qui locus *Ihura* vocatur, Michova d. l. *Iuharia* habet Generoso stemate clarus, virtute clarior, scripto præclarissimus Sigismundus Baro ab Herberstein Comment. Moscovit.

198. Aventinus lib. 4. Annalium Bojorum: *Hoc satis constat, ejus gentis progenitores (sicut periti ejus regionis scriptis produnt) adhuc habitare ultra Tanaim Rha flumen extra Sarmatiam Asiaticam, in Scythia, in Extremo Aquilone, esseque accolas Oceani Scythici, maxime Septentrionalis, quibus sedes nemora, alimenta pisces, feræque vestimenta lupi, vulpes, martes, ursi sunt. Sub imperio principis Magni Moschorum, atque Roxolanorum, quos nos Massogetas atque albos Russos appellamus. Hisque quotannis pro tributo, preciosas pelles murium quos venantur, & nos Zobelas vocamus, pensitare: ubi alii hyperboreas, montes aureos Gryphas custodientes ponunt, & eos qui felicitate telluris aërisque temperie, diutissime vivant, donec eos satietas magis, quam tædium vitæ capiat.* Postrema hæc verba *ubi alii* &c. refutat Michova lib. 1. cap. dicto 14. & num Montes Riphæi sint vel non? (de quibus supra dictum.) Videatur Ortelius Thesaur. Geograph. in voce Hiperborei. & Paulus Jovius de Legat. Moscovit. Insuper Duci Moscoviæ tributi nomine solvunt piscium dentes magnos, qui pisces idiomatæ Moscovitarum *Morß* nuncupantur. legatur Michova d. l. Item Baro ab Herberstein. Bilibandi Birkhameri Historia, Boemus Aubanus de Europa lib. 3. cap. 10. & Munsteri Cosmographia.

199. *Quo nomine Moscovvitæ multum gloriantur, quod eorum subditi magnam Europæ partem olim sint depopulati. Referebat Georgius Parvus dictus, natione Græcus, in priori mea legatione inter tractatus volens jus Principis sui deducere ad magnum Ducatum Lithvvaniæ, regnum Poloniæ &c. Iuharos subditos magni Ducis Moscoviæ extitisse &c.* Tradit Baro ab Herberstein d. l. Sed desinant gloriari vafri Mosci, secumque habitent & agnoscant se servos Hungarorum, id est à Scytharum servis sive liberis degeneribus esse ut supra ostensum disq. 180. Igitur Moscoviæ Dux quum inter cæteròs principatus sui titulos Hungariæ se Ducem appellat, non nostræ hujus Hungariæ Ducem se appellare potest; sed illius Sarmaticæ ubi adhuc habitant cognati Hungarorum. Vide Ransan. Epit. Rerum Hung Ind. 7.

200. *Ajunt Iuharos in hunc diem eodem cum Hungaris idiomate uti, quod an verum sit, nescio. Nam etsi diligenter inquisiverim, neminem tamen ejus regionis hominem habere potui, quo cum famulus meus linguæ Hungaricæ peritus colloqui potuisset,* scribit Baro ab Herberstein. d. l. Hanc audivit quidam Veronensis de quo Pius II. Pon. M. d. l. *Noster Veronensis, quem supra diximus, ad ortum Tanais perveniisse, retulit populos in Asiatica Scythia, non longe à Tanai sedes habere, rudes homines, & idolorum cultores, quorum eadem lingua sit cum Hungaris Pannoniam incolentibus, voluisse cum plerisq; sacrarum literarum professoribus, viris religiosis, & ex ordine Beati Francisci, qui linguam illam nossent, eo proficisci, & sanctum Christi Evangelium prædicare: sed prohibitum à domino, quem de Mosca vocavit, qui cum esset Græca perfidia maculatus, ægre ferebat Asiaticos Hungaros, latinæ conjungi Ecclesiæ & nostris imbui moribus.* Quod neque latuit nunquam satis laudatum Matthiam I. Regem Hung. de quo Bonf. dec. 1. lib. 2. *Divus quoque Matthias noster, hujus rei non ignarus, quum à Sarmaticis quibusdam mercatoribus acceperat, legatos illuc & exploratores misit, quibus cognatam gentem, si posset, in Pannoniam populis diuturno bello haud parum exhaustam alliceret. quod etsi hactenus assequi nequivit, si vixerit tamen, fortasse præstabit.* Eadem sententia Michovæ de lingua Juharorum: *Accipe secundò quod idem linguagium, & loquela, pronuntatioq; acuta sunt Iuhrorum in Hungaria, & illorum, qui in Scythia Iuhra degunt.* lib. 1. cap. d. Idem lib. 2. cap. d. *Suntq; ejusdem sermonis & loquelæ præcisæ, nisi quod addiderunt nostri Hungari aliqua vocabula ex Sclavonico idiomate, earum rerum quæ in Scythia & Iuhra non reperiuntur.*

201. Sic se habet *Causatum*: sequitur *Occupatio*. in qua occurrunt *Locus* & *Tempus*.

202. *Locus* specialis quem Hunni primitus occuparunt erat Dacia Dacia & Pannonia. Jornand Get. cap 42. *Ab Dacia & Pannonia provinciis, in quibus tunc Hunni cum diversis subditis nationibus insidebant, egrediens &c.*

203. Hos Hunnos Bodinus Feudum in Europam introduxisse asseverat: *Hunni primum ab extremis Scythiæ oris, cum Europam pænè totam ferro ac flamma vastarent, Langobardos & Alemanos Germanorum gentes, ac Francos Gallorum veteres colonos, ad dominatum rerum omnium occupandum sic assuefecerunt, ut nemo terræ glebam, nisi eorum beneficio possideret.* & mox: *Europæ verò populi, quorum bellica vis major est quam Asiaticorum, & Australium, vix ac ne vix quidem dominatū principum ferre potuerunt: nec ante Hunnorum incursiones in Europam, Principum dominatum pertulerunt. Primus Oduacer Rex Herulorum, qui iisdem ferè temporibus Italiam, quibus Attila Germaniam, invasit, subacta Italia, possessores agri tertia parte mulctavit: liberos homines illæso libertatis statu, ac reliqua parte bonorū sine ullis fiduciæ pactis, aut directi dominii specie, securos esse permisit. Cæteri verò ab Aquilone populi, cum Hunnorum mores ac dominandi illecebras didicissent, Allemani, inquam, Langobardi: Saxones, Burgundi, Gothi, Ostrogothi, Angli, & reliqua Scytharum colluvies, se rerum omnium dominos ferentes fertilissima quæq; prædia sibi reservarunt, cætera fiduciæ nomine veteribus colonis fruenda reliquerunt: exigui vectigalis lege dicta si possessorem mutarent. Illa est imago, illud argumentum antiqui dominatus.* Videlicet Hunnorum. Hæc ille lib. 2. de Repub cap 2.

204. Diversas has nationes, quas ditioni suæ subdiderant Hunni, vide apud Jornandem de Reb. Get. cap. 35. 36. 38. 40. & præcipuè cap. 48. De Oduacro lege autorem d. cap. 46. & Bonfin. dec. 1. lib. 6. Huc adde quod refert Priscus Rhetor de Gothis, quum à Leonis I. Imp. exercitu in loco abrupto & concavo inclusi & obsessi essent: *Calael, vir genere Hunnus, &c. cohortem obiens, in qua erant plures numero Gothi quam reliqui, accitis primoribus hujusmodi orationem habere cæpit. Terram quidem Imperatorem ad inhabitandum daturum, quæ non illis fructui, & commodo futura esset, sed cujus utilitas ad solos Hunnos redundaret. Nec enim Hunnos ignorare Gothos terræ cultum negligere. Ex quo fore, ut luporum more Hunni, arva, quæ Gothus sortito obtigissent, ad se pertrahentes raperent, & eos servorum loco habentes, cibis destitutos vexarent & opprimerent &c.*

205. Ab illo denique Edicto disq. 15. est, quod legimus apud Jornandem de Ostrogothis: *Per successionem parentum Vualamir in regnum conscendit, adhuc Hunnis eos inter alias gentes generaliter obtinentibus. Eratq; tunc in tribus germanis contemplatio grata, quando mirabilis Theodemir pro fratris Vualamir militabat imperio. Vualamir vero pro altero*

jubet

jubet ornando, Videmir servire pro fratribus æstimabat. Sic eis mutua affectione se tuentibus, nulli penitus decrat regnum, quod utriquo in sua pace tenebant. Ita tamen, ut sæpe dictum est, imperabant; ut ipsi Attilæ Hunnorum regis imperio deservirent. Quibus nec contra parentes Vesegotas licuisset recusare certamen; sed necessitas domini etiamsi parricidium jubet, implendum est. de Reb. Get. cap. 48. De cæteris subjectis nationibus idem autor cap. 39. *Reliqua autem si dici fas est, turba regum, diversarumque nationum ductores, acsi satellites, nutibus Attilæ attendebant, & ubi oculo annuisset, absque aliqua murmuratione cum timore & tremore unusquisq; adstabat, aut certè quod jussus fuerat exsequebantur.*

206. Ab his facile obtinebimus *Feudum* vocabulum non esse Gothico-Longobardicum, sed Hunno-Ungaricum. Nam si hoc verum de Hunnorum subditis nationibus: *nemo terræ glebam, nisi eorum beneficio possidebat.* Ecquis me adeo culpet, cur à Communi Opinione Dd. abeam? Deducta proculdubio notatio *Feudi* ab Hunno-Ungarico *Föld*, quod significat Terra, Tellus. Sic, *Darabföld*; Gleba. *Földes Vr*; Dynastes. Indè forsan *Feudum quidam dixêre Fœdum* (per Syncopen elidendo de medio *l*, & Paragogen addendo in fine Syllabam *um*,) *Vt Guillelmus Imp. in Constitutione quadam in Chronicis Flandriæ relata, per quam terris imperialibus privatur Margarita Comes Flandriæ ob fidem non præstitam. Vt inquit eadem Comitissa in Feudum tenuit.* Jac. Cujacus de Feudis lib 1 pr. Nam & *ö* Diphtongus Ung. œ est. Molnar Grammat. Ung lib. 1. cap. 2. observ. 2. Idem Jo. Calvinus Lexico Feudali in verbo Fœdum. *Fœdum pro Feudum dixerunt multi, & in his Angli: fortasse ab illa notatione Germanicæ vocis FEED &c. Itaq; vulgari lingua scribunt FEE: longissime tamen à Longobardici juris ratione & instituto. Fœda namque generaliter appellant prædia omnia, quæ perpetuo jure tenentur, etiam Allodia, quæ à parentibus & majoribus hæreditate relicta sunt. Et aliquando fœdum ipsis hæreditatem significat.* Hottomannus in Lexic. feud.

207. Sic à Victoria Hunnorum contra Macrinum Longobardum & Dietricum Veronensem sub Sicambria, prope Budam veterem, villa quædam Scythico vocabulo *Kelenföld* denominata dicitur. Thvrocz. part. 1. cap. 11. Bonfin. dec. 1. lib. 3. Quia trajecto Danubio ita consumsissent exercitum Romanorum, ut quasi per alluvionem accesserit Pannonia dominio Hunnorum. Desumptum hoc vocabulum propriè ab Hungarico *Kel*, quod significat *Accrescit*: in *jure dicitur portio, quæ vel alteri personæ vel parti accedit.* Calvinus in Lexico ex Brisson. *Pro diminui, in jure accipi interdum. Alber. indicat.* Calvinus d. l. Hoc denotat Ung. *Kelek*; Consumor. Et *Föld*, quod Hungaris terra est, à *Longobardis campi patentes, sermone barbarico* feld *appellantur* Warenfridius Longobard. lib. 1. cap. 20. per Antithesin literæ *e*, pro *ö*. Sanè diutius per fictâ fronte non contendo, judicent Docti num hæc notatio verisimilis sit vel non.

208. Quæritur hoc loco quo titulo in Dacia & Pannonia consederit *gens Hunnica?* Jo. Savaro Comment. in Carm. 2. Sidoni vers. 236. de Hunnis:

Vt populatores ———

Id est latrones, & Isauros, quibuscum bellum justum non erat. Marcellin. Com. Isauri, Hunni, finibus suis egressi Romanorum sola vastarunt. Hoc illud est de *Attila, quem Hungari magnum jure vocant: eodem quo Magnus Alexander, aliiq; generis ejusdem: magnum latronem, felicem prædonem orbis terrarum.* Compilat. Rerum Ung. Script. Epist. Dedicat. ad Ancelium. Alberic. Gentilis de Jure Belli lib. 1. cap. 7. De quo *Valentinianus Imperator ad Vesegothos eorumque regem Theodericum in his verbis legationem direxit. Prudentiæ Vestræ est, fortissime gentium, adversus urbis conspirare tyrannum, qui optat mundi generale habere servitium, qui causas prælii non requirit, sed quicquid commiserit hoc putat esse legitimum. Ambitum suum brachio meritur, superbia licentiam faciat, qui jus fasq; contemnens, hostem exhibet se cunctorum. Etenim meretur hic odium, qui in commune omnium se approbat inimicum.* Jornand. de Reb. Get. cap. 36. Idem fermè Romulus Legatus ad Priscum Rhetorem. Excerp. ex Hist. Gothica pag. 120. m. Et de Hunnis Sidonius Carm. 7. vers. 251.

Lithorius Scythicos equites tùm fortè subacto.

——— *rapinis*

——— *pacis fallentes nomen inane*

Id est, pacis involucro rapinas suas & hostiles ruinas tegentes, Jo. Savaro. Comment. in hunc locum. vide etiam Jornand. Get. cap. 34. Idem Ammianus Marcellin. lib. 31. cap. 4. de Hunnis: *Per inducias infidi & inconstantes.*

209. ——— *Sed omittimus istos*

Vt populatores: belli magis acta revolvo.

Sidonius Carm. 2. vers. 235. de Hunnis. Belli acta, veram fortasse justamque causam habent hæc duo, *Administratio* apud Europæos parum vera & justa; & apud Hunnos *Invasio* necessaria & legitima.

210. De Administratione vide disq. 24. & seqq. Deus edicit. Deuter. cap. 25. vers. 16. *Dominus aversatur omnem injustitiam.* Ille prædicit Jerem. 1. vers. 14. *Ab Aquilone pandetur malum, super omnes habitatores terræ.* repete disq 59. Idem Lazius deß Königreichs Hung. Chorograph. Beschr. cap. de Hungaris: Neben den *Hunnis* ob den eporn *Caspias* geheissen gewonet etlich Völcker von Gog vnd Ma-

gog herkommen / als nemblich *Avares*, *Hungari*, *Vngri*, *Vlciaguri*, *Magori* vnnd *Turci*, welche alle Völcker nach einander von Gott erwecket zur straff seinem Volck. Ille minatur, Eccles. cap. 10. vers. 8: *Regnum à gente in gentem transferetur, propter injusticiam, & injurias, & contumelias, & diversos dolos.* Lipsius Polit. lib. 4. cap. 14 f.

211. Ergò *genus hoc, nativis à Deo sedibus excitum, novum orbi nostro & nomen & terrorē intulit, atq; Romanū ipsum Imperium, inter alia gravitex impulit* &c. Et sic *hæc ignota gens &c. exigentibus peccatis, ingentē ubiq; vastitatē dedit. Opida, urbes, provincias, regna commovit, turbavit, evertit. Tandem, velut impositō defuncta sibi à Deo munere, fertilissimam atque omnibus ad vitæ usum cultumq; necessariis instructissimam Europæ partem, suam fecit: ut & prædæ suo tempore esset alius, quæ prædas ab aliis tam diu egerat impune. Florentissimo atque amplissimo regno constituto: quæ fidem atrocissimè & crudelissimè persecuta fuerat, ea fidei nostræ clypeus, nostræ Religionis murus appellari avorum memoria meruit.* Compilat. Rerum Ung. Epist. d. *Quid hæc aliud sunt, quàm*

Sydus & occulti miranda potentia fati.

Lipsi. Polit. Monit. 1. exem. p. 2. cap. 5.

212. Ad *invadendam* Europam, necessitatis tela quæ Hunnos adegerunt & è patria gleba ejecerunt erant intoleranda infœlicis soli vitia in *Inopia* & *Copia*.

213. Frigidissimæ namque Scythiæ terra glaciali marmore undique ad Polum Arcticum versus incrustata, totaliter non est frugifera aut lætarum arborum ferax, minimè ad tutelam incolentium fertilis. Et quid diducam? uno Verbo cum Hippocrate. *Misera regio est sub Polo Arctico, lib. de Regionibus Aëre Aqua.* Michova d. l. 1. cap. 14. Indè solent expertes fermè esse frigidissimæ Septentrionales oræ, in Asia ab externorum insultu ex temperata Zona, quam tota Europa, cujus fœcunditas in se hostem semper excitavit Scythiam, & totum illum ferarum indomitarumque gentium tractum.

214. *Copia* hominum Septentrionales plaga ita tumet, ut nimia superfluentis populi frequentia necesse habeat ad exonerandas vires alias sedes quærere, ne fame tabescant. Plura de populosa hac Scythia infra de Coloniis. Necessitatis hoc vexillum prætulisse simili de causa prudentissimum Imp. Augustum, & explicuisse in Pannonia, metimur ex Dionis Rom. Hist. lib. 49. *In Pannonios exercitum duxit, neque læsus quidem ab iis unquam, neque ullum crimen objiciens: sed militum exercendorum simul, & alienis bonis alendorum causa, omne id justum esse censens quod armis potentior contra infirmiorem decerneret.* Legitime hoc fecisse Augustum Candidissimus Scriptor Suetonius censet cap. 21. *Nec ulli genti sine justis & necessariis causis bellum intulit. Tantumque abfuit à cupiditate quoquo modo imperium vel bellicam gloriam augendi.* hæc Suetonius. *Et certè ubi per species iverimus, regnorumque præcipuorum ortus & incrementa viderimus: fraudem & vim & multis latrocinia potentiæ initia fuisse apparebit.* Quemadmodum Doctissime differit Cl. dn. Forstnerus Not. Polit. in lib. 3. Annal. Tacit.

215. Proindè *Lex Talionis divinitus rata. Quo sane exemplo docemur, veram & immotā illam esse regulam, peccatum omne per idem peccatum puniri.* Comes Petrus à Revva Commēt. de Corona Hung. Etenim quo jure Romani sibi Pannoniam subjecerunt, eodem jure Hunni ab illis repetierunt, nec tot Fauces & Præsidia Romanorum, Hunnis transferentibus domus suas obstiterunt. Quæ coincidenter hoc loco recensere, non alienum à proposito erit.

216. Quam variis modis tam Persæ quam Romani humana curiositate vano & detestabili consilio arcere Hunnos & alias gentes aditu à Romano imperio allaborabant. Priscus Rhetor de Legatis Persarum Regis ad Martianum: *Addebant æquum videri, Romanos arcis Ierovach, ad Portas Caspias sitæ, curam habere, & pecunias ad ejus tuitionem conferre, neque se solos sumptibus, & arcis custodia gravari. Si enim cesserint, non solum ad Persarum, sed etiam ad Romanorum ditionis terras, & gentes, quæ proximè habitant, damna facile perventura.* Excerpt. ex Hist. pag. 71. idem pag. 73. 74. Idem Procopius d. l. *Nuntius interim in castra de morte Cabadis, ac de Cosroe rege constituto venit. Illi res novas simul & Hunnorum irruptionem timentes, oratorum sermonem libentius audivere.* Ex hoc Lazius d. l.

217. De Romanorum consilio id est Augusti & Adriani Imp. Bodinus de Repub. lib. 4. cap. 1. *Ac tametsi Trajanus admirabili ponte supra Danubium extructo (cujus adhuc vestigia restant) Decebalum regem Dacorum fregisset: nihilominus tamen Adrianus successor pontem dirui mandavit, ne gentes Aquiloniæ aditu patefacto in intimos Imperii Romani recessus penetrarent, quarum gentium vim ac robur cum Augustus expertus esset, legiones septendecim ad Rhenum & Danubium in excubiis disposuerat, ut imperium commodius tueretur: quibus legionibus à Constantino magno sublatis repente Alemani, Gothi, Ostrogothi, Vandali, Franci, Heruli, Burgundiones, Hunni, Gepidæ, Langobardi ac postremò Tartari, Turcæ, Normani, Scytharum nationum examina in provincias Romanorum irruperunt.*

218. De Macronticho Anastasii opere, Callistus lib. 16. cap. 29. *Anastasius idem, opus maximum & illustre, memoriæque prorsus & Imperiali magnificentia dignum, perfecit, quod μακρόνυχον, hoc est Longum mu-*

rum appellavit, ad Thraciam exornandam constructum. Constantinopoli ducentis octaginta plurimum stadiis abest, & ad utrumque pertingit mare, instar freti, ad quadringenta viginti stadia excurrens, & Chersonnesum sive peninsulam in insulæ propè formam redigens. Facilè etiam quosvis trajicere volentes, ab eo quod os Ponti dicitur, in Propontidem & Thracium mare deducit: & barbaros effundi atque excurrere ex partibus eis, quæ supra Euxinum Pontum sunt, tum autem ex Colchide, & à palude Mæotide, præterea ex locis quæ supra Caucasum sunt, atque eos etiam qui per Europam sparsi sunt, prohibet. sic ille. Opus hoc est, *LX. milliaribus ante urbem, à septentrionali mari versus meridiem milliaribus L. extentum, latitudine pedum XX.* Suidas in Nomine Anastasius.

219. De Justiniano Imperatore qui cum Cosroë Rege Persarum inducias pepigerat Excerpt. ex Hist. Menandri: *Prima pactio hæc erat.* 1. *Ne per Angustias, introitus, qui Coruthson appellatur, & Portas Caspias Persæ aut Hunnos, aut Alanos, aut alios barbaros, in Romanorum ditionis terras transire sinant, neque Romani in ea loca exercitum mittant.* Idem de hac Legatione Procop. de Bello Persico lib. d. *Ex parte alia Persæ Romanis oppida apud Lazos, præterea Dagarim reddidere, alium pro eo viro recipientes. Is enim Dagaris tempore post, Hunnos sæpe in fines Romæorum ingressos in prælius superans fugavit.* Idem Jornandes in Get. cap. 7. *In eo loco ubi post hæc Alexander Magnus portas constituens, Pylas Caspias nominavit quod nunc Lazorum gens custodit pro munitione Romana.*

220. Quo *titulo* verò *Hunno-Avares & Hungari* sibi vindicarunt Daciam & Pannoniam? Menãder in Excerptis ex Hist. pr. de Abaris, & adventu illorum ita scribit: *Iustino Germani filio, qui tunc temporis militibus, qui Lazice in præsidiis erant, præerat, nuntiavit, & Iustinus ad Iustinianum retulit, qui illi mandavit, ut ejus gentis legatos ad se Byzantium transmitteret. Electus verò fuit ab ea gente quidam Candich nomine, qui primus legatus ad Imp. venisset, dixit: Adesse gentem omnium fortissimam & populosissimam quæ se illi traderet, Abaros scilicet, genus hominum invictum, & inexpugnabile, qui ejus omnes hostes repellere & funditus extinguere possent. Illius rationibus valde conducere, & auxiliarios optimos sibi habere & adsciscere, qui tamen non alia conditione erga rempubl. Romanam benevolo futuri erant animo, quam si donis pretiosis, annuis etiam pensionibus & fertili regione, quam inhabitarent, donarentur. &c.*

221. Idem autor paulò post: *Iustinianus legatos ab Abaris excepit, qui postulabant, ut illis liceret circumspicere terram, in qua eorum gens sedes & domicilia poneret. Et Imperator quidem ut hæc Iustinus dux illi significavit, apud se consultavit an gentem collocaret in ea terra, ubi prius habitabant Eluri (secunda Pannonia vocatur.) Et Imp. si illis videretur, annuit. Sed Abari Scythiæ Scythia sibi exeundum non censerunt. Etenim illius desiderio, quoad ejus fieri poterat, tenebantur. Hoc igitur non successit. veruntamen Iustinus legatos misit Byzantium & Imperatori significavit eos jam magna ex parte istam regionem occupasse.* Notandum hic ex Jornande regionem hanc *Mæsiam esse, quæ nunc ex magna Scythia nomen mutuata, minor Scythia est appellata* de Rebus Get. cap. 10. Sic etiam Landulphus Sagax de Hunno-Avaribus: *è regione sua venerunt in partes Scythiæ ac Mæsiæ, & direxerunt ad Iustinianũ legatos petentes ut reciperentur.* Hist. vulgo dictæ Miscellæ lib. 16. cap. 26.

222. *Alboinus Longobardorum Rex, (nec enim inimicitias quas cum Cunimundo Gepidarum Rege exercebat, deponebat, sed quacunque ratione Gepidarum opes sibi evertendas ducebat) legatos ad Bajanum* (alias Chaganum) *misit, quibus eum ad armorum societatem adhortabatur. Legati cum advenissent, precibus cum Bajano Abarorum duce agebant, ne se contemneret, qui nefanda omnia à Gepidis passi erant. &c. Adjecerunt si cum Longobardis se conjungerent, fore ut invicti essent, & Gepidis exterminatis eorum opibus & regione communiter potirentur. Tum in posterum tota Scythia subacta, beatè vitam traducerent. Inde facile illis fore Thraciam occupare, & ex vicinis locis moventes minimo negotio Romanorum regiones armis percurrere & Byzantium usq; ferri &c. Bajanus &c. statuit eorum petitioni assentiri, sed non alia conditione, quam si decimam partem quadrupedum, quæ tunc temporis, apud Longobardos essent, confestim acciperent, si superiores evaderent, dimidium manubiarum & tota Gepidarum regio ejus juri cederet: Atque hæc cum ita conventa essent, bellum inferre Gepidis deinceps instituerunt.* Excerpt. ex Hist. Menandri de Abaris. Quo bello *Gepidorum genus ita est diminutum, ut ex illo tempore ultra non habuerint Regem, sed universi qui superesse bello poterant, aut Longobardis subjecti sunt, aut usq; hodie Hunnis eorum patriam possidentibus, duro imperio subjecti gemunt.* Warenfrid. Langobard. lib. 1. cap. 27. lege totum caput. Idem Excerpt. Menandri de Abaris.

223. Sic justo Dei judicio rediit ad dominum, quod fuit ante suum. Gepidæ ejecti sunt ab Hunno-Avaribus, unde post mortem Attilæ juramenti sui & fidei immemores expulerant Dominos suos Hunnos. Jornandes: *Gepidæ Hunnorum sibi sedes viribus vendicantes, totius Daciæ fines velut victores potiti*, &c. de Reb. Get. lege totum cap. 50. Quibus posterior dominatus priore acerbior cesserat: ut diminuti sine Rege, Hunnorum imperio subjacerent in hunc diem usque (de Ardarico Gepidarum Rege qui ob nimiam suam fidelitatem erga Attilam, ejus consiliis intererat. vide Jornandis Get. cap. 38. & 50.) Cui rei testimonio sunt septem Urbes Transilvanæ; quod contra omnes

omnium scriptorum opiniones pronuntiatum esto, qui valde mendose à Saxonibus incolis (per Carolum Magnũ deductis) eas hodie in habitari scribunt. Audiant Jornandem de Regione Gepidarum: *Daciam dico antiquam, quam nunc Gepidarum populi possidere noscuntur.* & mox: *Hanc Gothicam, quam Daciam appellavere majores, (quæ nunc, ut diximus, Gepidia dicitur)* de Rebus Get. cap. 12. Sed plura de his alibi. Addi Ortelium Thesauro Geograph. in verbo Dacia.

224. Siccine hoc *titulo* Hunno-Avares venerunt in *Daciam*; *Pannoniam* Longobardi Italiam petentes amicis Hunnis concessere, quibus cum *Albion &c. fœdus perpetuum iniit.* Warenfrid. Langobard. lib. 1. cap. 27.

225 In causa erat Sophia uxor Justini, quæ Narsetem virtuosum ex insolentia & pravitate contempserat, factum hoc pertinens ad disq. 41. hoc loco referre libuit ut conjectim tàm causa, quàm titulus occupationis Pannoniæ ab Hunno-Avaribus, constet lectori. Warenfridi Verba de invidia Romanorum adversus Narsetem lib. 2. Langobard. cap. 5. hæc sunt: *Magnam à Romanis, pro quibus multa contra eorum hostes laboraverat, invidiam pertulit, qui contra eum Justino Augusto & ejus conjugi Sophiæ, in hæc verba suggesserunt dicentes: Quia expedierat Romanis, Gothis potius servire quam Græcis ubi Narses imperat Eunuchus, & nos servitio premit, & hæc noster piissimus princeps ignorat. Aut libera nos de manu ejus, aut certe & urbem Romam, & nosmet ipsos gentibus trademus. Cumq; hoc Narses audisset, hæc breviter retulit verba: Si male feci cum Romanis, male inveniam. Tunc Augustus in tantum adversus Narsetem commotus est, ut statim in Italiam Longinum mitteret præfectum, qui Narsetis locum obtineret. Narses verò his cognitis valde pertimuit, & in tantum, maximè ab eadem Sophia Augusta territus est, ut regredi ultra Constantinopolim non auderet. Cui illa inter cetera, quia Eunuchus erat, hæc fertur mandasse, ut eum puellis in gynæceo lanarum faceret pensa dividere. Ad quæ verba Narses dicitur hæc responsa dedisse; Talem se eidem telam orsurum, qualem ipsa dum viveret, deponere non posset. Itaque odio metuq; exagitatus, in Neapolitanam civitatem secedens, legatos mox ad Langobardorum gentem dirigit, mandans ut paupertina Pannoniæ rura desererent, & ad Italiam, cunctis refertam divitiis, possidendam venirent. Simulq; multimoda pomorum genera, aliarumque rerum species, quarum Italia ferax est, mittit, quatenus eorum ad veniendum animos posset illicere. Langobardi læta nuntia, & quæ ipsi præoptabant, gratanter suscipiunt, deq; futuris commodis animos attollunt. &c.* Vide Herman. Kirchnerũ de Legatis lib. 2. cap. 9. n. 129.

226. Hac de causa, ut Warenfrid. d. l. cap. 7. refert: *Tunc Albion sedes proprias, hoc est, Pannoniam, amicis suis Hunnis contribuit, eo scilicet ordine, ut si quo tempore Langobardis necesse esset reverti, sua rursus arva repeterent. Igitur Langobardi relicta Pannonia, cum uxoribus & natis, omniq; suppellectili Italiam properant possessuri. Habitaverunt autem in Pannonia annis quadraginta duobus; de qua egressi sunt, mense Aprili, per indictionem primam, alio die post sanctum pascha, cujus festivitas eo anno, juxta calculi rationem, ipsis Kalendis Aprilibus fuit, cum jam à Domini incarnatione, anni quingenti sexaginta octo essent evoluti.*

227. *Sed ad Vgros redeo: qui tres annos per Orientalis Germaniæ magnæ, Sarmatiæ utriusq; fines, ferocissimas nationes, vastas solitudines, sylvasq; palantes pererrarunt &c. Quarto demum anno ab Arnulpho statas sedes impetrant. Tum Daciam ultra Tibiscum amnem, quæ cum Histro ad Eurum vergit, invadunt.* Jo. Aventinus lib. 4. Annalium Bojorum de Hungaris. Item autor paulo post de Arnulpho: *Mense Majo celebrem regni conventum apud Hengstovelâ agit. Quò cum Suatebogus venire contemneret, hostis Reipub. judicatur. Interfuere eidem concilio Vratislaus ulterioris Pannoniæ (al. Poloniæ) præses, & Cusalæ regis Vgrorum, qui adhuc incertis sedibus in Sarmatia Europea vagabantur, legati, pollicentes omnes vires suas adversus Suatebogum, si sibi quasi prostipendio terra, quam armis occuparent, daretur. Grata legatio Arnulpho fuit, statim ipse annuit, & Moravos triplici exercitu invadere decrevit, Cusalæ & Vgris popularibus suis Daciæ destinatur.*

228. *Quapropter* injuriosè juxtà, ac malitiosè (quemadmodum refert Tubero) *Hungari perindè ac alienæ terræ invasores à finitimis odio habentur, præsertim à Bohemis, Polonisq; qui, quantum terrarum inter se, & Dalmatas interjacet, id totum sibi ab Hungaris per injuriam ereptum putant.* Comment. lib. 1.

229. *Tempus* præcisum, quo *Hunni* venerant in Europam, suppeditat Paulus Orosius lib. 7. Hist. cap. 33. *Tertio decimo autem anno Imperii Valentis, hoc est, parvo tempore postea quam Valens per totum orientem Ecclesiarum lacerationes, sanctorumq; cædes egerat, radix illa miseriarum nostrarum copiosissimos simul frutices germinavit: siquidem gens Hunnorum &c.* vide disq. 185. Valentiniani auspicium Imperii, ponit Helvicus Chronologiæ fol. 26. sub annũ Christi CCC. LXIV. Itaque adventus Hunnorum incidit in annum CCC. LXXVII. & Damasi Romanæ Ecclesiæ Pontificatum eodem anno. Annales autem Ungarorum referunt ad annum CCC. LXXIII. à quibus discrepat Stephanus Szekelius Chronico Ung. quam ad annum CCC. LXVII. reducit. Vide Molnari Epist. Dedicat. Grammat. Ung. Et Sigebertus Gemblacensis, qui in Chronographia sua Exordium Regni Hunnorum

rum producit ad annum CCC. LXXXI. Idem ex hoc profert Helvicus d. l.

230. De *Hunno-Avarorum adventu* Lazius Chorograph. Beschr. K. H. cap. de Avaribus: Auß dem 1. Buch *Procopii Hist. Præfica* &c. (vide disq. 191.) erscheinet wie die *Hunni Avares*, herkommen sein zur zeitten *Anastasii* vnd *Justiniani* der Keyser. Sed sub Justiniano, qui factus est Imp. juxta supputationem Helvici d. l. fol. 27. anno Christi D. XXVII. advenisse illos, autores sunt Callistus Hist. Ecclesiast. lib. 18. cap. 30. (vide disq. 101.) Landulphus Sagax in Hist. Miscell. cap. 26 lib. 16. Theophylactus Simocates Hist. lib. 7. Menander. in Excerp. ex Hist. de Abaris. Et quidem in ultima senectute & extremo Imperio Justiniani Menander d. l. libro de Abaris: *Erat ea tempestate Imperator effæto corpore: non eadem illi vis animi, qua florebat, cum juvenis adhuc Gilimerum Vandalum, & Vuittigem Gothum captivos fecit. Itaq; jam senex exacta ætate cum animi robur & belli appetentem virtutem desidia & ocio commutasset, barbarorum exercitum, non quidem bello, etiamsi decertaret, eum penitus deleret, sed prudentia & consilio priusquam ipse debito fine extingueretur, propulsare cogitabat. Et cum diu superstes esse non posset (etenim non multo post hinc migravit) societatem facere curavit.* Calculum ergò adventus, non male pariaveris in annum D. LXXIII. vel LXXIV. adi Helvicum d. l. fol 28.

231. Tempore *Arnulphi Hungari* Venerunt in Europam. Liuthprandus. Hist. lib. 1. cap. 2. Beatus Rhenanus Germanicarum Rerum lib. 1. Aventinus 4. Annal. Bojorum. Lazius Chorograph. Beschr. K. H. cap. de Hungaris: *Anno Dominicæ incarn. DCCC. LXXXIX.* Regino Prumiens. Chronic. Idem ex hoc Lazius d. l. Et Szekelius apud Albertum Molnar in Epist Dedicat. Grammat. *Hungarorum eorum in Pannoniam adventum in annum Christi* DCCC. LXXXIIX. *incidisse scribit.* coincidit in eundem annum electio Arnulphi in Imp. videatur Helvicus d. l. fol. 31. Non plane rationes Annalium cum hoc calculo conveniunt, qui Hungarorum ingressum in Pannoniam sub annum Christi DCC. XLIV. tempore Constantini V. Imp. & Zachariæ Papæ, ponunt. Idem cum illis scribit Helvicus d. l fol. 32. Verum nec de ingressu in Pannoniam consentiunt cum Szekelio, Beatus Rhenanus Aventinus & Lazius d. l. Sed quarto postquam egressi essent anno è nativis sedibus, in Dacia sedes impetrasse ab Arnulpho. Vide disq. 227. Septimo deinceps anno postquam Daciam occuparunt, & mortuus esset Arnulphus, sedes fixisse in Pannonia, lege Aventinum lib. 4. & Lazium d. l.

232. Et

232. Et hæc hactenus de *Vniversali* causa, consequens est *Particularis.*

233. *Particularis* Causa est Attila, in hoc spectandum *Genus* & *Individuum.*

234. *Genus* ut sic partiar est vel *Relativum* vel *Absolutum.*

235. *Relativum* est in præclarissima progenie Attilæ, ex qua prognatus est S. Stephanus I. Rex Christianus Hungariæ. Vide disq. 121. & seqq.

236. *Absolutum* est in substantia Attilæ & S. Stephani. Attilæ substantialem formam nativam in quantitate & qualitate absolutam, iisdem verbis definit Jornandes: *Vir in concussionem gentis natus in mundo, terrarum omnium metus: qui nescio qua sorte terrebat cuncta, formidabili de se opinione vulgata. Erat namque superbus incessu, huc atq; illic circumferens oculos, ut elati potentia ipso quoq; motu corporis appereret. Bellorū quidem amator, sed ipse manu temperans, consilio validissimus, supplicantibus exorabilis, propitius in fide semel receptis. Forma brevis, lato pectore, capite grandiori, minutis oculis, rarus barba, canis aspersus, simo naso, teter colore, originis suæ signa restituens. Qui quamvis hujus esset naturæ ut semper magna cogitaret, addebat ei tamen confidentiam gladius Martis inventus, apud Scytharum Reges semper habitus* &c. De Rebus Get. cap. 35.

237. Et ut *pauca de multis* ex rebus ab illo gestis *dicere non omittamus &c. De tota gente Hunnorum electissimi equites in eo loco quo erat positus, in modum Circensium cursibus ambientes, facta ejus cantu funereo tali ordine referebant. Præcipuus Hunnorum rex Attila, patre genitus Mundzucco, fortissimarum gentium dominus, qui inaudita ante se potentia solus Scythica & Germanica regna possedit, nec non utraque Romanæ urbis imperia captis civitatibus terruit, & ne præda reliqua sub ler ntur, placatus precibus, annum vectigal accepit. Quumque hæc omnia proventu felicitatis egerit, non vulnere hostium, non fraude suorum, sed gente incolumi inter gaudia lætus sine sensu doloris occubuit. Quis ergo hunc dicat exitum, quem nullus æstimat vindicandum?* Jornand. d. l. cap 49.

238. Vividuum quasi ejus caput, & os & pectus pene spirantia, repræsentat iste



239. *Hæc facies inhumano luridoq; pallore, ac efferi oris monſtroſo ductu & torva occulorum nictatione terribilis, immanem Hunnorum regis Athilæ ſævitiam ſpirat, ſicuti ex ære artificis manu, & ſcriptorum ſtylo expreſſam videmus.* Paulus Jovius Illuſt. Virorũ Elogiarũ lib. 1. Jconẽ hanc Celeberrimus Antiquarius, vir Amplſſ. & Doctiſſ Dn. Joannes Jacobus Luckius ex celebri ſuo Archivo Antiquitatum omnis generis exoticorum numiſmatum referto, benevolo animo mihi comunicavit. Cæterum ne quis lege Cornelia falſi arguat, nos commentitiam ſeu fictitiam imaginem Attilæ & Aquilejæ, vel adulteratum numiſma in publicum proferre, quod nunquam in rerum natura fuiſſet: is ſciat Ectypum hujus ad oris ſimilitudinem expreſſum & effigiatum in plumbo candido, prænominatum Dominum Luckium dono accepiſſe ab Illuſtri & Generoſo Domino Dom. Jacobo Ludovico à Füerſtenberg. Prototypus, hoc eſt ipſe nummus Triumphalis Attilæ, in Obryzo ſive ſolido auro Ungarico ita ſignato: priori facie Effigie Attilæ, altera Aquileja, extat in illuſtri θαυμαλολαμείῳ, Rudolphi II. Imp. piiſſmæ nunc memoriæ.

240. Denique in omnibus ſimilis deſcriptioni ex Jornande & Jovio allata. Cui conformis eſt etiam effigies Attilæ apud Theobaldum Müller. Eigentlicher vnd Gedenckwürdiger Contrafacturen ꝛc. Weitberümpter Kriegshelden. pag. 8. in 40. Baſil. Anno 1577. Idem

Idem fermè apud Wilhelm Schäffer genant Dillich. Vngariſche Chronica. cap. von Attila der Hunen König.

241. De Aquileja hoc memorabile eſt. *Candidas aves, id eſt Ciconias* fuiſſe augurium excidii. Jornand. Get. cap. 42. Antoninus Florent Archiepiſcopus Volum. Hiſt. 2. tit. 11. cap. 8 §. 4. Ex quo Thvvrocz, part. 1. cap. 18. Bonf. dec. 1. lib. 6. Sabellicus Enead. 8. lib. 1. Otto Friſingenſis lib. 4. cap. 26. *Diu multoq; tempore* Jornandes; *continuo triennio obſeſſam fuiſſe civibus ſtrenue repugnantibus* Antoninus Florentinus & cæteri d. l. ſcribunt. Sic & Otto Friſingenſis modo dicto loco: *Tanta autem in obſidione hujus urbis & mora, & multitudo fuit, ut miræ magnitudinis montem Vtinum dictum, quem ipſe vidi, in modum aggeris ab exercitu comportatum, incolæ usq; hodie affirmant.* Ut & de monte inter Humburgum & Aſtenburg/ Matthiam Regem Hung. I. cum Auſtriam debellaret, copiis ſuis, juſſiſſe illic ſingulos quosque galeam terræ plenam ponere. Id quum feciſſet totus exercitus, placide & ſenſim argillam in montem forma Pyramidali adſurrexiſſe.

242. Sequitur

ICON MEMORIÆ SACRA, CVM ALIIS NVMMIS.



Jcon hæc Attilæ anaglyphice ſculpta, figura circulari hodiè Argenti-

 næ vi-

næ visitur in vertice portæ quæ à Coronæ Burgo nomen habet. Notæ sunt in nomine: A, V. ÆTA. &c. id est: Attila, Unnorum, Ætatis Quadragesimo septimo. Inscriptio Ambitus desumpta est ex Virgilii versu 490. Ænead 3.

Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat.

Restauratio verò Portæ in hæc verba concepta legitur.

NVLLI NEQVE VIM NEQVE INSIDIAS COGITANTES, SED PROPVLSANDARVM ERGO RESPVBLICA ARGENTORATENSIS FIERI FECIT ANNO SALVTIS M. D. XXXII.

243. Argentinenses in hoc publico & patenti loco sic Attilæ memoriam prosequuti, ut formam ac figuram animi magis quam corporis complectantur: non quod tantam vim in sese habeat imago quæ lapide fingitur: sed ut memoria rerum gestarum maneat in animis hominum & in æternitate temporum duret, exeuntibusque & intrantibus semper in vestibulo urbis conspicua sit ejus in destruenda Argentina crudelitas: sicque cum intuerentur, facta ejus secum revolvant, in destruendis & solo adæquandis mæniis multis in locis, ut ille Orientis & Occidentis Imp terror cum immenso suo exercitu sine propugnaculorum obstaculis in Galliam transire & in Pannoniam redire posset, cunctisque mortalibus se vivente aditus pateret; indeque per viarum pluralitatem Straßburg appellatam esse: testantur de facto & nomine hoc Annales Hungarorum & Chronic. Alsatiæ.

244. Simulacrum vultus Attilæ cum omnino dissimile priori & posteriori schemate sit, fortè quispiam dicere conabitur non improbabili argumento tantum, sed & majori & meliori ratione hoc aut falsum, aut illa suppositicia esse. Quoniam vero maxima dissimilitudo oriri soleat, *aut propter ætatis incrementum* (ut quidam scribit) *aut personarum formæ mutationem, aut regionum ubi signabantur differentiam, aut aliud quodvis accidens*, metallicæ imagines protinus falsæ judicandæ non sunt. Js enim prorsus judicio carere videbitur; quem perspecta ætatum, temporum, & locorum habituum mutatio redarguit. Si quis veritatem volet, consideret monetas aliquot effigie alicujus Principis signatas, qui hodiè vivit, deprehendet pro diversitate loci & temporis, Proteo mutabiliorem effictam & excusam formam Principis, *caput modo senile, juvenile, barbatum, imberbe, armatum, inerme, nudum, opertum & pileatum, inornatum & coronatum lauro, corolla, auro vel diademate.* Exemplo sit avorum memoria Jcon Solymanni Turcarum Imperatoris.

245. Ad numum oblongum Attilæ quæ dicenda, aliò transferenda sunt; non omittendum tamen convenire cum hoc, Jconem Attilæ apud Munsterum in Cosmographia Mundi, & apud Gulielmum Rovillium Promptu. Jconum part. 2. pag. 94.

246. Ectypum hujus nummi Orichalco expressum, acceptum fero benevolentiæ Cl. Domini Luckii, ut & sequentium numorum argenteorum Prototypum. Quorum posteriorem monetam primam à Bela I. Rege Hung. in honorem S Stephani cusam esse non sine ratione asseverat honoris causa prædictus Dominus Luckius: *quia Romanorum more caput corrolla circumdatum est, quod alias si de Stephano Martyre capiendum radio coopertum esset.* Quæ impressa hoc loco, ut effigiem S. Stephani Regis repræsentaret; siquidem nullibi, quod ego sciam Christianissimi hujus Regis forma corporis literis adumbrata est. Si quis forte extiterit, qui nummum aliquem Belæ, aut aliam effigiem Sancti Stephani, forma huic dissimilem habeat, is sciat neq; suam neq; hanc in orbe solum semper haberi & suo similem esse. Qui vidit à prima fronte *Conclusiones Ex Philosophia Peripatetica Tam Speculativa, quam Morali* Illustr. ac Generos. *Ioannis Erdödi Comitis Perpet. Montis Claudii* &c. anno M. D C X. ab ipso in Academia Parmensi ad Disputandum propositas, jam dicet diversam esse illic Iconem S. Stepani ab hac nostra. Ac ne repetam quod dictum disq 244. Certissima hæc sententia Plinii: *Quæ non sunt finguntur: pariuntq; desideria non traditi vultus. Et majus nullum est felicitatis specimen, quam semper omnes scire cupere, qualis fuerit.* Sic ille referente Rovillio. Idq; manifestum est in S. Stephani Regis effigie, præfixâ *Inscriptioni Conclusionum* &c; hanc ab Iconographo effictam & per lineamentorum ambages, flexu quodam deductam esse ex icone Adami, insculpta in Promptuario Iconum part. 1. Guliel. Rovilii, quam ipse, cum nullum haberet Prototypum, ex descripta Adami natura, moribus, ætate, regione & rebus gestis conformaverat. *Post acceptum Regalis excellentiæ signum, qualis vitæ vir & discretionis fuerit cum Episcopis & Primatibus Hungariæ, statutum à se Decretum manifestum fecit.* Legenda S. Stephani: in qua cui hæc curæ cordiq; est, prolixius acta & facta ejus rimare potest, idemq; post illam in Bonfinio dec. 2. lib. 1.

247. *Individuum* sequitur, quod vel *Vagum* vel *Simplex* est.

248. *Vagum* est in nomine Attilæ duplex *Signatum & Ortum.*

249. Linguarum varietate *designatur*, lingua Latina communiter *Attila:* Hungarico idiomate *Ethele* Thvvrocz. part. 1 cap. 13. Græco, apud Priscum Rhetorem passim Ἀτλίλας, & Callistum Ἀτλίλαν: Germanico, Etzel: in Fragment. Annal. Veterum, quæ Lazius non semel citat de Migrat. Gentium; huc adde de *Buda* sive *Budavára* sive

Etzelburg/id est, Urbs Attilæ, Thvvrocz. part. 1. cap. 17. Nicolaum Olahum de Attila cap. 12. Wetzel etiam Doctiss. Dn. Luckius se legisse perhibet, & hoc nomen, minutum argenteum numum referre. Probationem desumit ex Insignibus Argentinensium, in quibus ob effusum sanguinem cæsorum ab Attila, rubentem transversam lineam gestant in campo albo, quam olim in Vexiliis ferebat Attila.

250. Ego Doctissimo & harum rerum peritissimo viro temere non reluctor, sed suo cujusque arbitrio hæc relinquo; habeo tamen quæ hoc loco inferri possent. Si literæ hærētes We *conjunctim* pro Germanico We/legendæ sunt, putarim nomen Wetzel non ad Attilam sed Decebalum Regem Daciæ trahendum esse, testem habeo celebrem Metropolim Daciæ, *Zarmiz* nomine antiquo dicto, cui alterum nomen aditum fuit *Æthusa*, ac postea *Ægethusa*, & sic conjunctim *Zarmigethusa* & *Zarmisogethusa*. Denique victo Decebalo, Trajanus hanc de se nominavit, coacervatis nominibus *Vlpia Trajana Sarmizægethusa*. Hæc in lapidibus vetustis in Dacia visuntur. Lege Zamosii Analecta Daciæ Antiquit. cap. 3. 4. & 5. *Ejus hodiè nihil, præter ingentia rudera priscam magnificentiam testantia, supereſt, quæ collabente Romano imperio, ipsa quoq; deleta fuit, nec unquam postea restaurata &c. Nunc ad ejus rudera viculus est Valachorum Gradistia. Ruinæ ipsæ vocantur ab accolis Várhel, id est Arcis locus, nec proinde aliæ ruinæ, corrupto ex Decebalo nomine Veczel appellatæ.* Zamosius d. l. cap. 3. Et cap. 5. *In eodem tractu est & Veczel vicus, à Decebalo rege dictus, cujus vocabuli rudera qualiacunq; adhuc habent.* Idem Ortelius Thesauro Geograph. in verbo Zarmisogethusa: *Dacia urbs est, quam Sambucus Veczel & Venecia vocat. Varhel Germanicè: & Slavonicè: Gradisca*, & Petrus Montanus in Ptolom. Geograph. lib. 3. cap. 8 Sed perperam *Varhel Cermanicè* scribunt, quod Hungaricum id est *Arcis locus* ut jam dictum est. *Vár*: Arx; *Hel*; *Hely*: Locus. Sic Sæpè homines *circa affectationem Germanicæ originis ultrò ambitiosi.* Tacit. de Moribus Germ. cap. 28. lingua Germanica Hungaricè loquuntur quod ipsi non intelligunt. Pars altera nummi cum linea transversa denotat fortè Sargetiam flumen non procul à Regia prædicta, in qua suos occultaverat Thesauros Decebalus, de quibus Dio lib. 68. Trajanus. Campus autem ad utramque lineæ partem fertilitatem Transylvaniæ.

251. Si verò prædictæ literæ *divisim* legendæ, Attilæ nomen quidem denotare videantur, non tamen Wetzel/ quod nullibi de eo legi, sed Hungaricum hoc *Vezèr Ethele*, id est, Dux Attila. *Vezèr* enim Dux, Director, Ductor est, de Duce mox disq. 256. & seq.

252. Ast nec Attilæ aut Decebali nummum fuisse, apertè demonstrat Nobilis Alsatiæ familia Wezeliorum, quæ idem Nomen & Insignia sibi vindicat in Clypeis suis. Itaque difficulter dijudicari potest, cuinam horum attribuenda sit moneta dicta. Certè ægrè ac vix accipiendum Nomen & scutum in nummo prædicto expressum, de Attila, Michaelis Ritii verba contra sunt, de Insigni Attilæ: *Insigne gestabat Asturem ex Accipitrum genere coronatum* de Rebus Ung. lib 1. *Quæ quidem insignia ad Geysæ usq; Ducis tempora Vngari conservarunt.* Bonfin. dec. 1. lib. 3. Adumbrationem horum in Minutiis Aeris Attilæ, nobis ostendit M. Tilmanni Friesen/ Münz Spiegel Franc. 1529. cap. 5. lib. 3. de Attila: Dieser soll neben ander Münz gekörnet gelt von silber vnd Golde/von Zween Quintlein/ ein Korn gegossen darauff ein zeichen wie ein Creütz/ vnd anderseits/ wie ein Krauenfus geschlagen haben. Judica hic candidæ lector, annon irrepserit hic error typographicus, per Metathesin transposita litera o ante r/ & legendum sit pro gekörnet; gekrönet/ pro Korn; Kron.

253. Diu extra oleas vagor redeo ad propositum, *Individuum Ortum* est ex pluribus his vocabulis Hungaricis *á* vel *â* pro *az*: Ille, illa, illud. vel *amaz*: Ille, ipse &c. *Attul*; Ex eo, ab illo. *Ettől* pro *Eztől*: Ab hoc. cujus Ablativus *Ettőle* est. Inde sive servamus nomen *Ethele* sive *Attilas*, utrumque Ungarica sunt, Composita ab *Attul* per Antithesin literæ *i* pro *ü* ficut Antistæchon hoc est, in vocabulo *Hit*, *Hüt*: Fides, *Idő*: *üdo*: Tempus. Et Parogogen addito Pronomine *az*: unde *Attilas*, Item *Ethele* est ab Ablativo *Ettőle* per Antithesin literæ *h*, pro *t*: & *e* pro *ő*; Vel sine transformatione literarum *tt*, quæ eandem vim habent in pronunciando quod Græcum θ.

254. Haud dubiam esse hanc originationem, liquido liquet ex *Terminatione & Significatione.*

255. Nomina quædam Propria pro *us* in *as terminantur*, ut *Faxkas*: Wolffgangus. *Balas*: Blasius &c. Et *Adjectivorum terminationes* &c. *In ás* &c. *Significant habitum, copiam & proclivitutem, ut* Hatalmas; *Potens*. Aranyas; *Auratus, Aureus*. Ruhás; *Vestitus*. Marhás; *Peculiosus*. Albert. Molnar. Grammat Ungar. lib. 1. cap 16.

256. Quamobrem *Significatio* nominis *Attilas* vel *Ethele* gignit talem sensum: *Ex eo, ab illo, ab hoc; illi ipsi* &c. Capitanei Hunno-Ungarorum post Attilam legitimi Duces esse cæperunt, & fuerunt usque ad S. Stephanum I. Christianum Regem Hungariæ. *Ex eo, ab illo, ab hoc* &c. *illa ipsa* &c. Pannonia ex Provincia in Ducatum redacta.

257. Probationem debemus industriæ Prisci Rhethoris: *Verendum est, inquit Constantiolus, ne Persis facile devictis, non jam ampliùs amicus, sed*

sed dominus insultet. Nunc enim aurum ad ipsum defertur, pro dignitate, qua ipsum ornavimus. Quod si Medos, Parthos, & Persas domuerit, minime a Romanis, QUI EIUS IMPERIO LIMITEM CONSTITUUNT, *temperabit; sed suos famulos arroganter reputans, gravia & intolerabilia mandata sua facere coget. Dignitas autem, cujus mentionem Constantiolus fecit, erat* ROMANORUM EXERCITUUM DUCIS, *cujus decus* ATTILLAS *ab Imperatore susceperat, ad hoc ut ad eum Stipendia ejus, qui exercitus regebat, mitterentur. Innuebat igitur Attillam, hoc nomen aut aliud, quo Romanis illum vocare lubet, aut dignitatem, quam illi ornamenti loco esse existimant, transgressurum & perupturum, & pro* DUCE, COACTURUM EOS SE REGEM APPELLARE. *Tam tum enim cum irascebatur, dicebat, exercituum Duces, suos esse servos: qui quidem Attillæ, non tamen Imperatoribus Romanis, erant honore & dignitate pares.* Hæc ex Prisci Rhetoris Excerptis pag. 122. & seq sunt: ex quibus indubium Romanos Attilam non appellasse Regem sed Ducem; neque etiam jure in Annalibus & Jornadis Get. Regem, ut & sequentes Duces ab aliis Scriptoribus usq; ad S. Stephanum, nuncupatos esse Reges, non nisi per Excellentiam.

258. Esset utinam superstes absoluta Prisci Historia de Rebus Gestis Attilæ, non ita *fabulis veluti tenebris obscura* jaceret lux Veritatis, de Origine Hunnorum, Verissimâ disciplinâ Civili, exercitationeque Militari & Publicis deliberationibus & prudenter factis & dictis Magni Attilæ. Exacte enim hæc omnia tradidit, multarum rerum non tantum auritus, sed etiam oculatus testis. adi Prooemium.

259. *Ita in his quoque rebus ludit & illudit illud sive Fatum publicum, sive Fortuna.* Lipsius Cent. Miscell 1. Epist. 2 & quidam autores merentur lucem; quibusdam fors invidet ne emergant. Inter illos, si fatali incuria Græcorum aut aliorum, Prisci Historia integra perierat, Porphyrogenetæ Principis Excerptis factum. quemadmodum & Epitomatione Justini & Flori, cum integris Historiis Trogi Pompei & Livii actum est, & Jornandis invidioso facto, qui in Historia sua Getica plurima immutato sensu de Hunnis exscripsit ex Prisco, ut suppressa integra Historia Prisci per inopiam typographiæ, sua commenta summatim de Hunnis approbarentur, & fictitia ejus origo de Hunnis, vulgò crederetur sine objectione antiquioris Scriptoris autoritate & ratione.

260. Si verò Historia perfecta Prisci Rhetoris sive Sophistæ (de qua hactenus adhuc altum silentium) alicubi extet in Bibliotheca aliqua eximia, selectissimis & rarioribus libris in omni disciplinarũ genere, tam typis excusis quam manuscriptis referta; Bibliothecæ dominũ maximopere oro & obtestor, pro summa conjunctione Christianorum cum Hungaris, & maxima gratia, quam jure omnes fermè Christiani Principes illis debent, pro indefessa & assidua tutela totius Europæ adversus Turcam; ut Hungaros hoc gaudio beet, illorum causa, suâ & sæculi. Illorum: ut eam Historiam videre obtingat: suâ, cui tales amici: sæculi, cui hoc exemplum: quod ejus & Hunno-Ungarorum nomina perire non sinet, sed æternâ famâ se *exseret & oblivioni resistet ac se diu vindicabit.* Quod Virgilius duobus memoriam æternam potuit promittere & præstitit, hoc sibi cum Hungaris promittat, & idem præstabit.

Fortunati ambo, si quid mea carmina possunt;
Nulla dies unquam memori vos eximet ævo
Dum domus Æneæ Capitoli immobile saxum
Accolet, imperiumq; pater Romanus habebit.

Æneid. lib. 9. vers. 446. Seneca Epist. 21. m.

261. *Individuum Simplex* per unicum vocabulum est in nomine *S. Stephani* I. Regis Christ. Hung. Matthæus Dresserus de Festis Diebus: *Stephanus latinè Corona est. Conveniunt rebus nomina sæpè suis. Sic Stephanus tandem Martyr factus coronam immarcessibilem adeptus est.* Idem Haymo lib. 2. pr. ex Hist. Ecclesiast. Eusebii: *Propter quod & nomine suo coronatur à domino,* στέφανος *enim interpretatur corona.*

262. Ita *nomina multoties non casu, sed significanter ponebantur, ut constat ex illo Abigael ad Davidē de marito Nabal Carmelo, nomine,* 1. Reg. 2. c. 15. *Iuxta nomen suum stultus. Et Esau de fratre Iacob* Genes. cap. 27. *Iuste vocatum est nomen ejus Iacob, supplantavit me in altera vice. Et David de Achimaa.* Reg. 2. cap. 18. *Vir bonus est, & bonum portat nuncium. Ex quo Gentiles, qui sæpè sacram scripturam sunt contemplati, hanc superstitionem fuerunt ementiti credentes nominibus aliquid divinitatis inesse* Cicer. lib. 1. divinat. *vel nomina propter omnia imposita.* Ovid.

Nominibus semper omen adesse solet.

Franciscus Torreblanca Dæmonologiæ lib 1. cap. 26. n. 6. 7. & seq.

263. Sed superstitiosam vanam & inanem esse observationem nominum & ominum, clara voce animadvertit Waremund ab Erenberg de Fæderibus lib. 1. n. 12. *Perperam & impiè ille, qui Camerario referente in Vita Melanchtonis, solo nominis numero Mauritium à Carolo Vinci non potuisse cum nulla sit statuenda in nominibus religio. Carolus Paschalius in Legato cap. 77 pag. 521.* Rationem reddit Torreblanca d. l. n. 37. *Quia sine divina præcedente revelatione nulla omina licet attendere &c. ne portam pandamus ad ominosam istam superstitionem, quam non solum Catholici, sed & Ethnici illicitam judicarunt &c.*

ORSZ. SZÉCHÉNYI KÖNYVTÁR

264. Ostendenda igitur Divina revelatio & prædictio *Regni & nominis S. Stephani* Regis, ab Adjuncto *Antecedenti, Concomitanti & Consequenti.*

265. *Antecedens* elucet in *Præparatione & Prædictione.*

266. *Præparationem* exponunt *Passio & Actio.*

267. *Passio* accidit tẽpore Avi S. Stephani, quâ Christus cruentissimâ clade Hungarorum, cædem suorũ tot annis impunè, ultus est. Regnante Ottone I. *Hungari, vastata Gallia, majore quam unquam antea, multitudine in Germaniam inrumpunt, & prope Vindelicorum Augustam in ea planitie, quæ nomen habet à Lyco flumine, castra faciunt. Eo Cæsar profectus cum Saxonibus, Francis, Suevis, Bavaris, Bohemis, post ancipitem multamq; pugnam, ad internecionem propè cecidit hostem, aliquot ipsorum regulis in crucem actis.* Sleidanus de Monarchiis lib. 3. Chronicon Carionis lib. 4. late Aventinus 5. Annalium Bojorum, & ex eo Lazius Chorograph. Beschr. K. H. cap. de Hungaris. Bonfin. dec. 1. lib. 10. Ens Rerum Hung. lib. 1. circa finem.

268. Annum & multitudinem Hungarorum notavit Regino Prumiens. Chronic. lib. 2. *Anno Dominicæ incarnationis* DCCCCLV, *Hungari cum tam ingenti multitudine exeuntes, & non, nisi terra eos dehisceret, vel cælum eos obrueret, ab aliquo se vinci posset dicerent.* Idem ex hoc Aventinus d. l. Lazius de Migrat. Gent. lib. 7. pag. 356. m. & Gaspar Ens d. l. *At enim vis consilii expers mole ruit sua: & Odit Superos, sceleris est que ultor Deus.* Ens d. l. Idem temerè quam arroganter jactare non dubitavit Rex Sigismundus antequam à Turca ad Nicopolim victus esset: *Tam grandi sui exercitus congregatione Danubium transivit; & nedum Turcorum timeret Cæsarem; verũ quidem ipsum dixisse ferunt. Quid metuendus est nobis homo? Vastum si cælorum super nos pondus rueret; ipsi illud nostris, quas gerimus hastas, ne læderemur, sustentare possemus.* Thvvrocz. part. 3. cap. 8. Ex hoc Bonfinius dec. 3. lib. 2. Caspar Ens Rerum Hung. lib. 3.

269. Memoratu dignum præterea est quod de fatali periodo & circulo sive de quinquennario numero & mense infausto Hungarorum scribunt Philippus & Aventinus d. l. *Pugnatum est cum Vngaris ab Ottone eodem die, quo ante annos quadraginta octo deletus fuit ab iisdem exercitus Ludovici Tertii, trium dierum continenti prælio, id est quarto Idus Augusti, Anno Christi noningentesimo, quinquagesimo quinto, altero anno post mortem Rudolphi filii.* Hæc Philippus. *Isq; dies in Romanos fastos relatus est.* Aventinus d. l.

270. Hinc Regnorũ Franciæ, Ungariæ ac Poloniæ mutationem prævidens scribit. lib. d. 4. Philip. *à quo tempore cum elapsa sit fatalis periodus annorum quingentorum, metuendum est his regnis omnibus, magnas & fatales imminere mutationes, quas clementer Deus mitiget, & servet aliqua Ecclesiæ hospitia, ne doctrina de Filio Dei, & invocatio vera, honestæq; leges & studia prorsus aboleantur.*

271. Quæ cum ab eventu comprobata sint non possum mihi temperare, quin huc transcribam sapientissimam considerationem Illustris & Geneross. Domini Domini Petri de Revva piæ memoriæ de vi annorum qningentorum in Sacra Corona Hungariæ. *Et non sine stupore quodam, ac admiratione & anxietate animi hoc loco considero.* SANCTAM *nostram* CORONAM *non potuisse evadere illam certissimam, & à sapientibus multum decantatam, fatalemq; circa quingentesimũ annum post mortem nimirum* MATTHIÆ PRIMI *mutationem. Ita enim prorsus accidit in multis Rebuspub. ut dominatus, civilesq; status variarentur, imò naturæ quadam (ut sic dicam) Oeconomia, si non penitùs concideret, atq; ad nihilum redigerentur, tamen insignem circa Quintum seculum cladem ac mutationem sortirentur. In* ASIATICO *Imperio satis constat illud fuisse penes Assyrios* DXX. *annos, post quod tempus* MEDI *illud occuparunt.* ATHENARUM *Imperium à Cecrope usq; ad Codrum annis 490. durasse constat, & post illos in Democratiam mutatum. Totidem annis floruit* LACÆDEMONIORUM *Respub. sub Regibus Heraclidis à Lycurgo usq; ad Alexandri Magni ætatem, sub quo concidit. Annis circiter D. ab expulsis Regibus usq; ad Monarchiam Augusti rexerunt Rempub. Romanam Consules.*

Non dissimili profectò ratione usq; ad mortem MATTHIÆ PRIMI, *anno Regni* CCCCXC. *computando, à* SACRÆ CORONÆ *ortu & regimine* DIVI STEPHANI, *anno Christi M. Hungariæ ad summum Majestatis ac Vigoris culmen & apicem perductum, florentissimum ac potentissimum Rege nimirum proprio & invictissimo, habitum fuit.*

Mox vero circa hoc tempus ULADISLAO BOHEMO *succedente, sensim labascere, fatiscere, deflorescere, variis de causis quas non lubet hic numerare.* Hæc de Sacra Corona, manu consilioque meritissimus Comes S. C. DUUMVIR, in Comment. sæpè citato pag. 46. *Sacræ coronæ religione permotus* posteris reliquit. Adi & Schönborn Polit. lib. 7. cap. 24.

272. Eloquar ne? an fileam mensem Augusti? *Turcæ totum mensem Augusti conatibus suis felicem esse autumant &c. & quod majorem facit admirationem.* Dominus Forstner notis Polit. in I Annal. Tacit. IV. Calend. Septemb. *qui dies D. Ioannis memoriæ dedicatur, ingentem spem conceperant fore, ut eo tempore victoria potirentur, cum illo ipso die meminissent, Belgradum à Solymanno expugnatum, & cæsum in acie Ludovicum Regem. Sciebant etiam, Rhodum & Budam eodem die occupatam. Norunt insuper,*

eos dies, ac fere totum Augusti mensem, occulto quodam auspicio, non tantum Solymano, sed etiam Selymo patri olim felicissimum extitisse. Nam eodem mense magnum Hismaelem in Calderanis campis, & Campsonem Gaurium, Memphiticum Regem ad Singam devicerat. Quin adeo meminerant, eodem quoque à Bajazete Methonem expugnatam. Petrus Bizarus de Bello Pannonico. ex hoc Thuanus lib. 37. Dominus Fostner. d.l. Sub *exitum Augusti*, Stephanus Rex Joannis filius à Solymano captus & Buda Subacta est, Sleidanus de captâ Budâ à Solymano apud Reisnerum Rerum Turcic. Narrat. Sub *initium Augusti*, Zygeth totius Sclavoniæ fortissimum propugnaculum obsessum & die Septima Septembris expugnatum. Samuel Budinus & Joannes Sambucus de Zygethi expugnatione. Contra est quod scribit Bodinus lib. 4. de Repub. cap. 2. Septembri Mense captum Regem Hungariæ & Zygethum Fortalitium 4. Septemb. obsessum esse. Hac mente verum in his tristibus.

—— manet hæc ab origine mundi
Fixa dies bello. populisq; in prælia nati.

Stat. 3. Theb. vers. 242.

273. Nimis evagor, labascit jam animus tot Gentium, Urbium & Imperiorum calamitates uno quasi momento temporis, uno die ac mense acceptas, commemorando. Sed devictine planè erant ab Ottone I. Hungari? non erant, recolligo me ex Bonfinio d. l. ad me ergò & ad Hungaros redeo: *Vngari tamen victi & superati dici non possunt: quia nunquam cessêre, sed obstinatissimis animis ad internecionem usq; ferè depugnarunt. Quo quidem bello, quum innumera multitudo occubuisset. Vngarorum vires adeò enervatæ sunt & exhaustæ, ut multis annis in Pannonia ab omni se expeditione continuerint.* Addunt Annales non multò post, ultima vice ad Jsnacam Thuringiæ civitatẽ cæsos esse. Thvvrocz. part. 2 cap. 9. Bonfin. d. l.

274. Verè negligens, & sua præsentia, (cum Epitomen hanc apud Matthiam I. in Hungaria scriberet) in Hungarorum laudem immodicus est Petrus Ransanus Indice 8. *Tantus*, inquit, *Hungaros favor fortunæ aspexit, ut nullum unquam cum hostibus commiserint prælium, de quo non fuerint glorioſam adepti victoriam.* Bona Verba Ransane! tecumne sentiam? absit, autores supra dicti disq. 267. prohibent. Quis enim sanus hoc faciat? Asseverationem hanc eandem habet Liuthprandus Ticinensis coëtanus Ottonis, Hist. lib. 1 cap. 2. *Hungarorum gens &c. quæ miserante Deo, sanctissimi atque invictissimi Regis Othonis potentia, ut latius dicturi sumus, mutire non audet, exterrita.* Sic est quod Aventinus d. l profert: *Porrò Vgri qui domi reliqui erant, tanta suorum ruina animo fracti, vallo, fossa, sudibus contra nos sese in locis palustribus muniunt, ne dum fines alienos invadere (sicut per annos quinque & quinquaginta hactenus continenter factitarant) animo posthac conciperent* &c. Idem ex hoc Lazius. d. l. additque: vnd haben auß jhren Vatter-Land Schythia jhr mit verwanten Magores erfordert.

275. Quiescunt Hungari, satis, jam Pugnarum est cum Christianis. Vicistis Germani & hoc omine cantate, jubilate cum Lazio! Disse *Victoria* ist Keyser Otthen gleichwohl auffs aller leuchtest gewest/vnnd nicht allein Teutschland/sondern der gantzen Christenheit zue grossen Statten kommen. Chorograph. Beschr. d. l. *Et profectò, Perierant Hungari, nisi periissent. Hæc enim calamitas initium eis fuit salutis.* Ens lib. 1. in fine d. l. *Periissent, inquit, ita non sic infelicius supersunt, quam perituri fuerant* (Seneca controvers. 33. lib. 5.) *dum adhuc in Cimmeriis Ethnica superstitionis hærerent tenebris.* Petrus à Revva Comment. d. l. pr. Sic *tandem velut impoſito defuncto sibi à Deo munere*, incomprehensibili sua Divina Providentia, obluctantes sibi hostes, ita per Germanos Christianos devicerat, ut ad se traduceret & ad sua castra.

276. Ideòq; in felici & dulcissimo nomine Jesu Christi, absterſa cæca & gentili superstitione suaviter acquiescunt; auspicioq; *Symbolica Corona S. Stephani I. Regis Hung. fidei Caristianæ agnitæ & receptæ*, cum immanissimo hoste Christiani nominis Turca, *ad hoc usq; tempus acerrimum non saltem vro salute & incolumitate; sed etiam pro gloria & decore divino bellum gerunt.* Comes Petrus à Revva d. l. pag. 33. m.

277. Sed quid ego ista? clarior fax accedenda Christianæ Religionis Hungarorum. Prolucent ex piissima *Actione* Geysæ duo splendida luminaria, unum in amico *Pacto*, alterum in *Conversionis actu.*

278. *Amica Pactio* cum Christianis vicinis & Ottone Imp. I. certa est tam ex Legenda S. Stephani, quam aliis historicis. Legendæ titulus est; *De Sancto Stephano Rege & Patrono Regni Hungariæ*, (obiter hic moneo in Procemio, pro *Sanctorum Scriptorum* esse errore typographi, qui abreviatione *Sctorum* lapsus) Verba Legendæ hæc sunt: *Erat in ea Princeps quidam IV. ab illo, qui ingressionis Hungarorum in Pannonia Dux primitus fuit nomine Geyza. Severus quidem & crudelis veluti potentialiter agens in suos, misericors autem & liberalis in alios, & præcipuè in Christianos. Ritu Paganismo licet adhuc quidem obvolutus tamen à propinquitate spiritualis fulgore carismatis cum omnibus circumquaque positarum Provinciarum vicinis, de Pace cæpit attente tractare, ut jam in illo posſum agnosci cujus filius desiderarem fieri secundum dictum Salvatoris nostri dicentis in Evangelio: Beati pacifici quoniam filii Dei vocabuntur. Statuit insuper præceptum cunctis Christianis Ducatum suum intrare volentibus, hospitalitatis & securitatis gratiam exhiberi. Clericis & Monachis po-*

testatem concessit suam præsentiam adeundi, quibus voluntarium libenter auditum præbens, Orthodoxæ fidei semen pectoris in horto satum, delectabatur germen emittere. Hæc verbatim ex Legẽda dicta sunt ex qua ut plurimum sunt, quicquid Bonfinius dec. 2. lib. 1. prolixis verbis tradit. De Pace cum Ottone I. Aventinus 5. Annal. Bojorum: *Regem creant Geizonem filium Toxi, parentem D. Stephani. Is licet alienus à Religione Christi esset, nostros tamen amavit, ab Ottone Pacem impetravit: bonus Christianis, suis sævus extitit* Idem ex hoc Lazius d. l.

279. De *Conversionis Actu* verba Legendæ consequuntur: *Quid plura? Adest tempus Cœlitus dispositum, credidit ipse cum familiaribus suis, & Baptisatus est, & omnes ditionis suæ subditos se polliciens Christiano nomine mancipaturũ* &c. Et mox: *Nunciatur ei Beatum Adalbertum Bohemiensis Ecclesiæ Pontificem ad se venturum esse propter conversionem ipsius & fidei non fictæ profectum, Domino Deo laudis hostiam oblaturum. Oritur lætitia novis Christi militibus inenarrabilis, Dux obviam tyroni Christi cum fidelibus quibusq; procedit, honorabiliter eum suscipit & ut per visum monitus est modis omnibus obedientiæ filium se fore monstravit. Igitur jubente Principe fit ubiq; congregatio indomitæ *, & per Sanctum Episcopum fiunt & per suas exhortationes continue convertuntur & Baptisantur, Alumni Patriæ statuuntur in multis locis Ecclesiæ. Lux quippe quæ illuminat omnem hominem tenebris expulsis in Hungaria cœpit enitere, & impleta sunt in ea verba Prophetiæ dicentis: Gentium populus qui ambulat in tenebris vidit lucem magnam. Lux lucis invisibilis Christus est, quem tunc gentes videre meruerunt, quando revocati de tenebris ipsum Verum Deum & hominem esse verum, perfectè crediderunt.*

280. Plurimum à Legenda jam dicta distat historia Aventini & Lazij: *Divus tum Pilgrinus* (tempore Ottonis II.) *Bathavienſi, Laureacẽsi templo præsidebat, ad hunc Geyzo Rex Vgrorum motus sanctitate viri, licet Christianus nondum esset, legatos mittit, atque ut Vgrorum regionem adeat, ibi philosophiam Christianam interpretetur, orat: se cujus cultum Christi recipiendi potestatem facere pollicetur. Lupus juxta divina oracula, mores suos mutavit, ovemq; vivere cœpit.* Aventinus lib. 5. dicto. Darumb schreibt Pilgram der heilige Bischoffe inn einer Epistel zum Papst Benedicto dem fünfften / es ware im alten bedagten Man zuschwer so viel Land Jahrlich zu visitiren / vnd wie bey den Hungarn der schnit gut war / aber wenig Arbeiter. Latina verba sunt: *Tantum Divina gratia suis institutionibus fructum statim ministravit, ut ex eisdem nobilioribus Vngris utriusq; sexus Catholica fide imbutos, atq; sacro lavacro ablutos, circiter quinq; millia lucrarentur. Christiani autem quorum major pars populi est, qui ex omni parte mundi illuc tracti sunt captivi, quibus nunquam sobo-*

les suas licuit, nisi furtive domino consecrare, modo certatim nullo obstante timore offerunt eos Baptisare & gratulantur omnes tanquam de peregrinatione sua in patriam reducti, quod Christiano more oratoria audent construere, & licentia percepta linguam ligatam in laudem salvatoris præsumunt solvere, ipsi enim barbari omnipotentis Dei operante clementia. Quorum licet adhuc gentilitate sint quidam detenti: nullum tamen ex illorum subditis vetant Baptisari, nec Sacerdotibus invident quocunq; libet proficisci. Sed ita concordes sunt pagani cum Christianis, tantamq; ad invicem habent familiaritatem, ut illic Esaiæ videatur impleri Prophetia: Lupus & Agnus pascentur simul, Leo & Bos comedent paleas, factum est ergo ut pene cuncta Vngrorum natio sit prona ad percipiendum fidem sanctam &c. Lazius Chorographi. Beschr. K. H. cap. d. de Hungaris. Responsionem à Pontifice ad Epistolam dictam, vide apud Aventinum d. l.

281. *Ab hacce salutari cælestis veritatis origine, Ortum quoq; sive initium suum sancta hæc* CORONA, *& Patria nostra Regium sortita est titulum.* Generosis. Comes Petrus à Revva Comment. de Corona Hung. pag. 3. f. qui consequenter dilucidius demonstrabitur.

282. Præparationes Regni & Regis S. Stephani specié vidimus ad *Prædictionẽ*, apertã *Vaticinio & Somniis* veniamus. *At nulla res Fatũ clariùs certiusq;, quam Vaticinia, aut Prodigiæ asserant: quæ diu ante, causis notisq; nullis apparentibus, cum eventa designent: quid nisi & hæc definita, & à Deo esse clamant? Daniel ille Vates, & Sibyllæ, multis ante seculis multa & magna prædixerunt: unde, & quomodo, nisi quia in Providẽtiæ libro hæc descripta? & Deus revelaverat.* Iustus Lipsius Polit. Monit. 5. Exemplo 1. pr. lib. 1. cap. 5. *Nam ita amat Benignitas numinis, seu quod merentur homines, seu quod tangitur eorum affectione, his quoq; rationibus prodere quæ impendent.* Ammian. Marcell. lib. 31. pr. cap. 2. Lipsius 5. Polit. cap. 16. *divinitati suæ adstruendæ, nobis instruendis aut præparandis. Latus lætusq; campus est, placet ingredi, & leviter lustrare? fiat.* Lipsij verba sunt d. l. Monit. Polit.

283. Ac primò nobile *vaticinium* Attilæ factum est de familia sua, quod testatum facit Priscus Rhetor: *Attillas juniorem ex filiis introeuntem, & adventantem, nomine Irnach, placidis & lætis oculis est intuitus, & eum gena traxit. Ego verò cum admirarer Attillam, reliquos suos liberos parvi facere, ad hunc solum advertere, & animum adiicere, unus ex barbaris, qui propè me sedebat, & Latinæ linguæ usum habebat fide priùs accepta, me nihil eorum, quæ dicerentur, evulgaturum, dixit, Vates Attillæ vaticinatos esse, ejus genus, quod alioquin interiturum erat, ab hoc puero restauratum iri.* Excerpt. ex Hist Goth. pag 129.

284. Nomen *Irnach*, exprimit iste Dativus casus Hungarorum

Hirnac

Hirnac: Rumori, cujus Nominativus *Hir*: Fama, Nuncium, Rumor. A quo Dativo *Irnach*, per Aphæresin ablata litera *h*: quia *h* Græcis tantum aspiratio & non litera est, & Paragogen, addita littera *h* in fine, per literam Græcam *x*, *ch*: potest idem etiam per Matathesin dici. Significationem nominis, unicum hoc vocabulum *Famigero* præ se fert, quod & implet Vaticinium quasi Venturo sæculo, *Rumori, Famæ, Nuncio* natus esset Irnach, propterea quod conservaret stirpem Attilæ. Sic à contrario sensu Originatio hæc clarius elucescit per Hungaricum hoc *Irtás*: Extirpatio, Exputatio. *Irtoc*: Extirpo. &c.

285. Annales in nomine & tempore longè latèque absunt à Prisco Rhetore & Jornande, & Chabam post mortem Attilæ in Græciam ad avum suum Honorium Imp. fugisse fabulantur, Namque Attila sub imperio Martiani mortuus esset, quod ex Prisco probat Jornandes in Get. cap. 49. filii Attilæ tempore Leonis I. qui Martiano successit, ante quos Imp. Honorius regnaverat dissidio inter se fracti partim prælio cæsi, partim fugati sunt in Scythiam & patriam illorum. Hac de causa quod Annales de Chaba scribnnt, accipiendum de Irnach erit quem Jornandes Hernac vocat, qui in Scythiam cum suis profectus quam Mæsiam fuisse, dictum disq. 221. conterminam Græciæ. Jornandes de Rebus Get. cap. 50. *Hernac quoque junior Attilæ filius cum suis in extremo minoris Scythiæ sedes delegit.* Præter hæc Chabam fuisse Attilæ generis propagatorem & conservatorem ex nomine non videtur, quod per antithesin *k* pro *Ch*, *Kába* sonat, significatque Stultus, Fatuus, Hebes, Stolidus, Stupidus, &c.

286. *Somnia* quæ S. Stephani Regnum & nativitatem præfigurabant, erant tria: è quibus mirabile hoc. *Eleud filius Vgeck ex filia Enodbilii in Scythia genuit filium: quem ex eventu Almum denominavit. Nam mater illius, dum esset gravida, vidit in somnis avem quandam in forma Asturis ad se venire: suoque in gremio caput reclinare: quodque ex utero illius torrens persplendidissimus ortus fuisset: decurrensque in terra aliena extitisset multiplicatus: quod & factum est. Nam postea de lumbis ejus glorioси Reges propagati sunt. Qui postmodum in terra aliena, hac in Pannonia, ingentem populorum super multitudinem summa cum gloria regnavere. Quia autem Somnium Hungarico idiomate* Alom *dicitur; & illius nativitas per somnium fuit prænosticata; ideo ipse vocatus fuit* Almos. Thvvrocz. part. 2. cap. 1. Ex hoc Ransanus Epitome Rerum Hung. Ind. 8. Bonfin. dec. 1. lib. 9.

287. Adsidet huic speciale *somnium* de Regno & nativitate Regis S. Stephani; Geysæ factum: *Cumq; nimium esset sollicitus de rebellibus domandis, & ritibus sacrilegis destruendis, & Episcopatibus secundum æstimationem suam ad profectam Ecclesiæ sanctæ statuendis, mirabili visione nocte consolatus est eum dominus: fecit astare sibi juvenem delectabilem aspectu, qui dixit ei. Pax tibi Christi electe, jubeo te de solicitudine tua fore securum. Non tibi concessum est quod meditaris, quia manus pollutas humano sanguine gestas, de te filius nasciturus egredietur cui hæc omnia disponenda divinæ providentiæ consilio commendabit dominus: erit unus ex Regibus electis à Domino corona vitæ sæcularis commutaturus æternam. Veruntamen virum spirituali legatione tibi transmittendum honorificabiliter suscipito, susceptum venerabiliter habeto, exhortationibus ejus non fictum cordis assensum præbeto.* Legenda dicta de S. Stephano. Idem ex hac Bonfinius immutatis verbis ut dictum est, dec. 2. lib. 1. Impudenter Petrus Ransanus ex hac Legenda, putidam Lugendam facit, quando sua somnia assuit & Rerum Hung. Epit. Indice 9. scribit de Geysa: *visa est illi per quietem, mulier pulcherrima, miro circumsepta lumine, quam multæ speciosæ virgines comitabantur. Ea his ipsum verbis alloquuta est: Bono esto animo Geicha, ego sum Maria illa intacta &c.* totus locus dicto Indice legi potest.

288. Compar est supradicto, somnium uxoris Geyzæ: *Nec hoc silentio prætereundum est, quod ut omnis ambiguitas tolleretur de medio, ne fortè prædictæ visionis solius viri parum videretur inesse fidei. Vxorem ejus jam appropinquantem partui tali voluit visione, divina gratia consolari. Apparuit namq; illi Beatus Levita & protomartir Stephanus, Levitici habitus ornatus insignibus, qui eam alloqui taliter cæpit. Confide in Domino mulier, & certa esto, quia filium paries, cui primo in hac gente Corona debetur & Regnum, meumq; nomen illi reponas. Cui cum admirans mulier responderet. Quis es domine vel quo nomine nuncuparis? Ego sum inquit Stephanus protomartyr, qui primus pro Christi nomine martyrium pertuli, quo dicto disparuit* (al. spdinit) Legenda ante citata habet. Idem ex hac Bonfinius & Ransanus d. l. sed aliis verbis.

289. Somniis adaucta fides: *Nascitur interea prædictus à Domino filius Principi, quem secundum Prophetam antequam in utero conciperetur, Dominus novit & cui antequam nasceretur per Protomartyrem suum nomen indidit. Hunc Deo dilectum Adalbertus Episcopus crismali Baptismate secundum credulitatis suæ veritatem intinxit. Nomen sibi impositum est Stephanus quod alienum à consilio Dei fuisse non credimus: Stephanus quippe Græcè, Corona sonat Latinè, ipsum quidem & in hoc seculo coronare Deus voluit ad Regni potentiam, & in futuro corona beatitudinis semper manentis redimere decrevit, ad percipiendam vitæ jugis, indeficientem gloriam.* Legenda dicta. Idem Bonfinius dec. 2. lib. 1. sed in tempore non est verisimilis. Nec enim ut ille scribit, nongentesimo nono anno Salutis

natus dici potest qui Millesimo tricesimo quarto anno mortuus est, quod nullus unquam retulit Stephanum fuisse grandævum annorum C. XXV. neque hoc *Electio* patitur. Fidelius hæc in tempore Ransanus Indice dicta. 9. *Geicha suscipit filium ex Sarolta, Giulai viri nobilissimi filia, anno ab ortu domini nostri, generis humani salvatoris, sexagesimo nono, supra nongentesimum. &c.*

290. *Concomitantia* quæ circa Regis & Regni constitutionem observanda veniunt, sunt *Necessaria & contingentia.*

291. *Necessaria* erat *Dignitas Regalis*, cujus plenaria causa efficiens *Prima & Orta.*

292. *Prima* DEUS est: *Nam Dei Gratiâ Reges regnant* Prov. 8. v. 13. & seq. c. Quo jure dictinct. 8. *& potestas à Deo est* Rom. 13. v. 1. Sapient. 6. v. 4. Dan. 2. v. 21. Esa. 45. v. 1. & 2. *Hinc illud vulgatum in Diplomatibus Imperatorum*: Wir N. N. von Gottes Gnaden. Amplis. Gravissimusque Dominus Joachimus Cluten D. U. J. Consultissimus, Sylloge Rerum Quotidianarum Conclus. 1. n. 4. lit. e. Daniel Otto de Jure Publico cap. 9. Piissima consideratio S. Stephani I. in Præfat. lib. 1. Decret. ad filium Emericum: *cumq; affatim universa hujus vitæ utilitati dignitatiq; gratia Dei concessa, scilicet Regna, Consulatus, Ducatus, Comitatus, Pontificatus, cæteraq; dignitates, partim divinis præceptis & institutis, partim legalibus, partim juridicis, partim civilibus, ac Nobiliorum ætate provectorum consiliis, suasionibus, regi, defendi, dividi, coadunari videam* &c. Et mox: *summa concedente potentia post me regnabis* Hæc S. Stephanus. *Et propterea tales intitulantur* DEI GRATIA REGES: *quia non recognoscunt superiorem, nisi Deum & Ensem.* Matthias Stephani lib. 2. part. 1. cap. 2. memb. 2. n. 20.

293. *Orta*; est *Electio* S. Stephani, de quâ Legenda dicta: *Crevit infans diligenti nutritus educatu, qui transacta pueritia, postquam gradum adolescentiæ primum ascendit, & convocatis pater suus Hungariæ Primatibus, cum ordine sequenti per communis consilium colloquii filium suum Stephanum post se regnaturum populo præfecit, & ad hoc corroborandum à singulis Sacramentum exegit. Post hæc plenus dierum anno Dominicæ incarnationis nongentesimo septimo, sæculi nequam ærumnas cælesti mutavit gaudio &c. & paulò post: Post obitum verò Patris, Stephanus adhuc adolescens favore Principum & Plebis in Patris solium laudabiliter profectus.* Idem ex hac prolixis verbis ut aliquoties dictum est, Bonfinius d. l.

294. *Haud multo interjecto dein tempore, cum Hungariæ Optimatibus placuisset, ut, qui titulo Ducis tot præesset populis, totq; viris generis claritudine, auctoritateque magna insignibus, uteretur magis honorata appellatione,* REGIAM ELEGERUNT DIGNITATEM. Ransanus Indice 9.

295. *Demum quando potestas omnis à Deo est, & maxima cœpta sine Divina ope confirmari nequeunt, regalia insignia cum Pontificia Benedictione piis precibus* ut *assequatur.* Bonfin. dicto lib. 1. dec. 2. de S. Stephano. *Quarto post Patris obitum anno, Divina commonente clementia eundem Astricum Præsulem, qui alio nomine Anastasius dictus est, & ad limina Sanctorum Apostolorum misit ut à successore Sancti Petri Principis Apostolorum postularet, quod novellæ Christianitati exortæ, in partibus Pannoniæ, largam benedictionem porrigeret. Strigoniensem Ecclesiam in Metropolim sive subscriptionis auctoritate sanciret, & reliquos Episcopatus sua benedictione muniret, regio etiam dignaretur ipsum diademate roborare, ut eo fultus honore, cœpta per* DEI GRATIAM *posset solidius stabilire &c. Præsul Astricus ad Papã pervenit, qui officium injunctum sibi, prudenter exequens, & Sancti Ducis gesta referens ordine, ab Apostolica sede quam promptissimus insignia postulavit, indicans eum dignum tali honore & dignitati, qui plures gentes per Dei adjutorium sibi subjugesset, multos infideles per suam potentiam ad Dominum convertisset. Quibus auditis valde gavisus Romanus Pontifex cuncta prout fuerant postulata benigne concessit, crucem insuper ante ferendam Regi, velut insignum Apostolatus misit: Ego inquiens sum Apostolicus, ille verò meritò Christi Apostolus, per quem sibi tantum Populum Christus convertit. Quapropter dispositionem ejusdem prout Divinæ Gratia ipsum instruit, Ecclesias Dei simul cum Populis vitæq; jure ordinandas relinquimus. Impetratis ergo omnibus, prout petiit Præsul Astricus, lætus ad propria remeavit, secum ferens propter quod incæptum iter prospere peregerat. Benedictionis ergò Apostolicæ literis, cum Corona, & Cruce simul allatis Præsulibus cum Clero, Comitibus, cum Populo laudes congruas acclamantibus, dilectus Deo Stephanus Rex unctione crismali perunctus, Diademate Regalis Dignitatis feliciter coronatur.* Legenda dicta, & Bonfinius d. l, Ransanus d. l.

296. Idem Jus Consuetudinarium Hungarorum parte 1. tit. 3. *Postquam verò inspirante Spiritus Sancti gratia, ad agnitionem veritatis, Catholicæq; fidei professionem, opera ipsius Sancti Regis nostri, Hungari venere, & eundem sponte in Regem elegerunt, pariter & coronavere.* Et absolutior Regis potestas Part. 2. tit. 3. *Verum postea quam ad fidem Catholicam sunt conversi, & Regem sponte sibi ipsis elegerunt, tam condendæ legis, quam etiam cujuslibet possessionariæ collationis, atq; omnis judiciariæ potestatis, facultas in jurisdictionem Sacræ Regni hujus Coronæ, qua cuncti Reges Hungariæ, coronari solent, & subsequenter Principem, ac Regem nostrum legitimæ constitutum, simul cum imperio, & regimine translata est.*

297. *Quapropter extitit adversus suos & Christi hostes felicissimus, imperium suum victis hostibus primum auxit, stabiliit, exq; dignitate Ducali, ad Regium fastigium evectus, angustali ornamento decoratus est, quo quidem Regio Diademate, an inter omnium Regnorum regalia insignia, aliud præclarius & religiosius magis sit, dubito?* Generos. Comes Petrus à Revva S. Coronæ Duumvir, de Sancto Stephano, Comment. dicto. pag 4. f.

298. Ardua & confragosa, maximisque difficultatibus intricata discursu tamen non indigna hæc quæstio: *Num Hungarorum Reges neminem nisi Deum & Ensem recognoscant superiorem?* Bodinus in lib. 1. De Repub. cap. 9. inter Regna, quorum Reges aut fiduciarii, aut Vectigales Ecclesiæ Romanæ fuerunt, scribit: *Regnum etiam Hungariæ, & utranque Pannoniam Pontificum Romanorum beneficio, à Regibus teneri jactabant: ut quidem catalogo feudorum Ecclesiæ Romanæ Hungaria continetur.*

299. De illis Liber manuscriptus è Bibliotheca Ludovici Demolini Rochefortii, Medici & Consiliari quondam Sabaudici, quem vir ab eruditione & Scriptis Præclarissimus Dominus Matthias Berneggerus asservat in Bibliotheca sua numerosa optimorum autorum selectissima. *Ex his Feudatarii sunt Rom. Ecclesiæ in fisco Apostolico Scripti: Rex Siciliæ & Neapolis feud: Rex Sardiniæ. Rex Aragoniæ. Rex Ierusalem. Rex Vngariæ.* Parum absunt Bodini verba sed longè ante d. l. *Extant etiam in Archivis & publicis actis Curiæ Romanæ, Regum Vasallorum nomina hoc ordine posita; Reges Neapolis, Siciliæ, Arragoniæ, Sardiniæ, Hierosolymorum. Angliæ, Hiberniæ Hungariæ: hæc descriptio vetus est eorum principum qui ante annos CCCLXXX. fidem & obsequium Pontificibus Romanis exhibuerunt.*

300. Ad eam sententiam Gregorii VII. librum 1. Sanctionum sive Epistolarum, sive Registrûm, qui erat in Bibliotheca Lateranensi, postea delatus in Vaticanum, Augustinus Steuchus Eugubinus, Episcopus Kisanus, sedis Apostolicæ Bibliothecarius. libro 2. contra Laurentium Vallam de Falsa Donatione Constantini, allegat: *Eadem propè, aut similis ratio est de regno Hungariæ, de quo idem; Gregorius Episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Salomoni Regi Hungariæ salutem, & cetera. Sicut à majoribus patriæ tuæ cognoscere potes, Regnum Hungariæ Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ proprium est, à Rege Stephano olim Beato Petro cum omni iure, ac potestate sua oblatum, & devotè traditum. Præterea Henricus piæ memoriæ Imperator Regnum illud expugnans, Victoriam adeptus, ad corpus beati Petri Lanceam & Coronam Regis transmisit, & progloria triumphi sui illuc direxit insignia. Quo principatum ejus dignitatis attingere cognovit. Hæc & alia. Noris de hoc Regno, quod cum à Barbaris, Scythis, ac Pannonibus non Christianis fuisset post Constantini tempora occupatum, ereptumq; Romano Imperio, cui Ecclesia hæres succesit, fuisse à Christianis Regibus Ecclesiæ Romanæ, cui debebatur restitutũ. Quod de Hispania luce clarius est, quæ & ipsa Barbaris occupata cum esset, Ecclesiæ restituta à Regib. est. Idem Gregorius de eodem Regno ad Geusam Hungariæ Regem eodem libro, sed non eodem capite: Notum verò tibi esse credimus, Regnum Hungariæ sicut & alia nobilissima regna in propriæ libertatis statu debere esse, & nulli Regi alterius Regni subjici; nisi Sanctæ, & universali matri Ecclesiæ Romanæ: quæ subjectos habet non ut servos, sed ut filios. Quod quia consanguineus tuus à Rege Theutonico, non à Romano Pontifice usurpative obtinuit dominium ejus, ut credimus, divinum judicium impedivit &c. De eodem idem Regno ad eundem Regem Hungariæ sic scripsit idem summus, ac Sanctus Pontifex, capite septuagesimo: Verum ubi correpto dominio nobili, beati Petri Apostolorum principis, cujus Regnum esse prudentiam tuam non latet, Rex subdidit se Theutonico Regi, & Regale nomen obtinuit. Dominus injuriam suo illatum principi prævidens potestatem Regni sua ad te judicio transtulit. Et ita consanguineus tuus si quidin obtinendo regno, juris prius habuit, à se sacrilega usurpatione privavit. Petrus enim à firma petra dicitur, quæ portas inferi confrigit, atq; adamantino rigore destruit, & dissipat quicquid obsistit. Hæc magnus ille Pontifex.*

301. Pergit Bodinus capite & libro dicto: *At in Vaticanis actis legi fiduciæ* (anno M. CC. XXIX.) *formulam; qua Ladislaus I. Rex Hungariæ Benedicti XII. Pontificis Romani fiduciarum se profitetur, abeoq; Coronam ac sceptra susceperturum promittit. Ladislao verò IV. Regni Hungariæ, quod Pontificis Romani mandatis minus paruisset, sacris interdictum est* (anno M. CC. LXXX.) *nec aliter veniam obtinuit, quam si centum argenti pondo, annui census nomine Pontifici Romano penderet. &c. In extremo plurimá sunt edicta Legati Pontificis, de statu Regni, deque agris publicis Hungariæ, ne Regibus quicquam distrahere liceret: ob id enim Andreas Hungariæ Rex Honorii Pontificis Romani edicto Romam venire jussus est* (Honori III. M. CC. XXI.) *ut causam diceret, cur agri publici partem distraxisset. Innocentius* (verba extant inter Innocentii epistolas l. 1. epist. 10. & in Gregorii IX. Decretalibus lib. 3. tit. 34. de Voto & Vot. redempt. cap. 6. Licet) *quoq; III. jussit Hungariæ Regem Vota patris implere: quod si recusaret, ad proximum quemq; Regni sceptra delaturum, testatus est.* hucusque Bodinus.

302. Hæc num vera sive fictitia sint, non erit absconditum Cancellariæ sive Archivæ Hungaricæ, nec pro & contra deest una atque altera ratio; eaque per *Testimonium Reale & Personale.*

303. De *Reali* non opus est verbis, quia RERUM TESTIMONIA adsunt. *Præsertim verò nostri dum divina revelatione, & Angeli jussu primum Regem Hungariæ Sanctum Stephanum Corona isthac potitum esse, norunt, profitenturque, non saltem ut capitis Regii decus & Majestatem tueatur: Sed magis ut* VERITATIS CHRISTIANÆ AGNITÆ ET PROFESSÆ HUNGARORUM ÆTERNUM SIT SYMBOLUM ATQUE MONUMENTUM. Generosus Comes Petrus à Revva S.C. Duumvir, de Corona Comment. &c. pag. 50. pr.

304. *Personale* duplex est, *Divinum* & *Humanum*.

305. Ex *Testimonio* divino supradicta ferè omnia ex Actis Vaticanis pugnare videntur vel cum ipsa Deitate: Daniel 2. v. 47. *Deus deorum est, & Dominus Regum.* Sapient. 6. v. 2. *Audite ergò Reges, & intelligite,* vers. 5. *Quoniam cum essetis ministri Regni illius,* hoc est, Dei Vasalli.

306. Vel cum Officio Christi: Joh. 18. v 36. *Regnum meum non est de hoc mundo* &c. Joh. 6. v. 15. JESUS *ergò cum cognovisset, quia venturi essent ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit in montem.*

307. Vel cum doctrina Christi. Luc. 2. quod ipse se censui submisit, nullumque accepit, sed dare jussit Matth. 22. v. 21. Marc. 12. v. 17. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.* Rom. 13. v. 7. *Reddite ergò omnibus debita: cui tributum, tributum: cui Vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.*

308. Denique vel cum institutione Apostolorum: Matth. 20. v. 25. Luc. 22. v. 25. *Reges Gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur,* v. 26. *vos autem non sic.*

309. Suspensâ sententiâ, fundamentum controversiæ *testimonio Divino* lustravimus, testat *Humanum*: quod *Vniversale* & *Particulare*.

310. *Vniversale* excutiendum per *Testimonium Ecclesiasticum* & *Politicum*.

311. *Ecclesiasticum* autores habet Pontifices Max. ut ex supra dictis patet, qui *pro* & *contra* seipsos perhibent. *Pro* non admittunt Dd. *Theodorus Reinking de Regim. Secul. & Eccles. S. Imp. Rom. lib. 1. class. 2. cap. 4. An Imperium Romanum sit à vel sub Pontifice, num. 15. & seq.* Illis legibus non est credendum, quarum auctores repelluntur, *cap. fraternitatis. de Hæretic. c. licet ex quadam de testib. l. Mathematic. C. de Episcop. aud. Besold. de jurisd imper. q. 5. p. 12.* Testimonium hoc est domesticum, cujus fides improbatur, *l. etiam. & ibi Dd. C de testib. §. 9. Institut. de testam. l. 1. § ad quæstionem. ff. de quæstion. Speculat. in tit. de testib. §. 1. num. 11. Prosper Farin de testibus q. 55. n. 1.* Quia in propria causa nemo testis idoneus, *l. omnibus C. de testibus.* Idque multò magis, si testis potest prætendere honorem, commodum suum vel etiam modicum interesse. *Anchoran. lib. 3. q. 24. Sichard in d. l. omnibus. n. 2. Chaceran. decis. Pedemont. 79. num. 40. Cravet. cons. 99. n. 2.* Quia nullam idoneam Pontifices reddunt rationem suæ testificationis, quo casu testium fides nulla. *l. solum. ubi Bart. Bald. Sichard. C. de testibus.* Hæc Reinking. adi & Amplis. & Consultis. Dominum D. Cluten d. l. concl. 6. lit a. & c.

312. Ponderosa *in iisdem tamen actis Vaticanis extat intercessio Principum Hungariæ adversus pontificis Romani Legatum, anno* M.CCC.VIII. *quæ cum diceret Stephanum I. Hungariæ Regem à pontifice Romano Coronam Regiam accepisse, acerrimè restiterunt, neque id Romano pontifici jus esse denuntiarunt: nec tamen se prohibere, quò minus Rex Hungariæ si vellet à pontifice Romano Coronam consequeretur.* Bodinus de Repub. l. 1. cap. 9. dicto.

313. *Testimonia Politica*; *Pro* & *Contra* oblationem Regni Hungariæ beato Petro sunt. Jus Consuetud in tit. ult. Prolog. confitetur; *quod sit supr. mus Iudex, ut Papa, & Imperator, vel alius, qui non adstringitur legibus*; & part. 1 tit. 11. *Papa seu summus Pontifex, utramq; Iurisdictionem temporalem scilicet & Spiritualem habet.* Ob id *etenim Andreas Rex Hungariæ ab Honorio III. Pontif. Max. vocatus est in jus, propterea quod prædiorum publicorum partem distraxisset anno* M. CC. XXI. Bodinus lib. 6. de Repub. cap. 2. eadem autor disq. 301. habet.

314. Cui Andream se obsequiosum præbuisse anno sequenti vigesimo secundo, haud aliter præ se ferunt ejusdem Regis decreta sive Leges Fundamentales Regni Hung. tum in *Genere* art. ult. 31. *Et ut hæc nostra tam concessio, quam ordinatio, sit nostris, nostrorumque successorum temporibus in perpetuum valitura, eam conscribi fecimus, in septem paria literarum, & aureo sigillo nostro roborari: ita quod unum par mittatur Domino Papæ, & ipse in regesto suo scribi faciat, secundum &c.*

315. Tum in *Specie* art. 16. INTEGROS *Comitatus, vel dignitates, quascunq; in prædia, seu possessiones non conferemus perpetuò.* Quæ omni penitus (uti loquitur Ludovicus I. Rex in Concl. Confirmat. Decret. Andreæ) *suspicione carentes, de verbo ad verbum præsentibus* velut explicat Albertus Rex art. 16 anno M. CCCC XXXIX. *Perpetuas verò venditiones, vel impignorationes jurium Regalium & Coronæ, neq; sine consilio quorumcunq; faciemus.*

316. Testimonium *Politicum* sive *Civile* contrarium est, in hoc, Pontifices Romanos antea habuisse dominium Pannoniæ ex donatione Constantini Magni, sicuti Gregorius VII. scripsit ad Salomonem Regem: *Noris de hoc Regno* &c. repete disq. 300. Contra donationem illam prudenter disputat *Ampliß. & Consultißimus Dominus D. Cluten d. l.*

con-

concluſ.7. Dominium autem non ex pluribus cauſis, ſed una tantùm contigit *l.3.§.4.ex pluribus,D.de acq.& am.poſſ.* Et quod jam noſtrum eſt,id amplius noſtrum fieri non poteſt.*§.10.Inſtit.de Leg.t.§.14. Inſt. de action.* Nec Pontifex potuit accipere: Quod enim dari nequit,id neque accipi poteſt.hæc Cl.Dominus Cluten.

317. S.Stephanus ſiquidem pro impetratione Coronæ, Pontifici reſtituere Pannoniam *Natura* non potuit, quia non habuit ipſe,l. 54.de R.I. *Nemo plus juris ad alium transferre poteſt, quam ipſe haberet.* Etenim commendatione patris, hoc eſt, *cum Hungariæ Primatibus per communis conſilium colloquii &c. præfectus &c. & poſt obitum patris &c. favore Principum & Plebis in patris ſolium profectus* eſt, quemadmodum ex Legenda S.Stephani diſq.293.dictum eſt.

318. *Iure* quoque offerre non debuit; quoniam poſt acceptam Coronam à Benedicto VII. Pontif. Max. Hungari eum *ſponte in Regem elegerunt,pariter & coronavere.* Quo facto omnis *poteſtas* cumulativa,& non privativa, in *Iurisdictionem Sacræ Regni hujus Coronæ &c. ac Regem noſtrum legitimæ conſtitutum,ſimul cum imperio & regimine translata eſt.* uti ex Jure conſuetudinario in diſq.296.monſtratum.

319. Quæ Munia & Bona Sacræ Coronæ propria, antiquitus habuerunt inviolatam legem,teſtis eſt ipſe Pontifex, quum in jus vocaverat propterea Andream II. repetatur diſq. 301. 313. & ſeq. Incredibile præterea memoratu eſt. Quid? Quod in Hungaria ſemper major vis Coronationis, quam Electionis erat. Nempe: *Vbi Helena, ibi Troja*, ut ſic dicam. Quid moror exemplis hoc demonſtrare? Eccè Domini ULADISLAI Poloni (*qui non vera ſacraq; Regni hujus Corona, ſed reliquiarum capitis Sancti* STEPHANI *Regis ornamento inſignitus fuerat*) *quiq; in Partibus Romaniæ juxta oppidum Warna, marina propè ad littora, per* AMURATEM *Turcorum Cæſarem circa feſtum beati Martini Epiſcopi & Confeſſoris, in anno gratiæ quadringenteſimo quadrageſimo quarto ſupra milleſimum debellatus occubuit,pro quorumcunq; parte,& quibuscunq;,ac quavis ratione,vel titulo factæ,per omnia caſſatæ,revocatæ,& viribus deſtitutæ ſunt,quæ nunquam tenentur* &c. Jus Conſuet.part.2.tit. 14. & paulò poſt: ITEM *privilegia invictiſſimi Principis quondam Domini* MATTHIÆ *Regis laudatæ recordationis &c. ante coronationem ſuam confecta non tenentur,niſi poſtea fuiſſent per eum confirmata.*

320. Potioris confirmationis & explicationis gratia exaudiendus Generoſs. Comes Petrus à Revva S. C. Duum vir. qui hoc exēplis propriis & contrariis ad fundamentum Juris Conſuetudinarii abundè comprobat,iisdem verbis: *Quod, cum in patria noſtra* ELECTIONE *plus penè valeat Coronatio, quæ non alia, quam Sacra Corona legitimè peragi poſſint, ad cuſtodiam ejus major cura, diligentiaq; adhibeatur. Non pauci reperiuntur* Cæſares, *ut nihil de* Regibus *dicam,qui ſumma illa* Imperiali Corona *non ſunt inſigniti, ſiquidem* aurea illa Cæſareaq; *Corona, qua ſoli* Romani Pontifices *coronandi jus & facultatē habent,* ROMÆ *tanquā* urbe veteris imperii honore, antiquorū triumphis & ſtupēdis ſupremæ fortunæ monumentis longè clariſſima dari, *ibidemq; coronatio peragi, aut ubicunq; in Italia ſolet: Italica verò profectio pleruſq; Imperatoribus, ſicut & eorū clientibus,qui illos comitari tenentur,ſumptuoſa neq; periculi expers exiſtimata fuit. Sanè* RUDOLPHUS HABSPURGUS *ejus nominis* Primus IMPERATOR, *Diadematis Imperialis accipiendi cauſa* Italiam *ſalutare abnuit,quod* Cæſarum in Italiam proficiſcentium,veſtigia læta,& ſpei ſplendidæ plena,ex Italia verò redeuntium triſtia,luctuoſaque noviſſet. *Hic tamen Imperator,ſicut* CONRADUS *quoque* Primus & Secundus, HENRICUS *Auceps*, LUDOVICUS QUARTUS & *multi alii; quin &* FERDINANDUS, MAXIMILIANUS, RUDOLPHUS, ſola electione pro veris & legitimis Cæſaribus habiti ſunt, *plenariaq;* Imperiali juriſdictione, *atque* auctoritate *potiebantur.* In Hungaria *vero,etiamſi conſenſu atq; ſuffragiis omnium Ordinum Rex pronunciatus ſit, & Regni habenas compluribus annis cum laude tenuerit, niſi vetuſtiſſima iſthæc* Corona *redimitus & conſecratus fuerit*, nulla indulta, nullæ collationes, nulla ejus Privilegia locum vel pondus aliquod, habent, & meritò pro Interrege cenſetur. *Exemplis illud declarare pluribus facilè omnino eſſet,miſſis aliis,unum atq; alterū referam. Quem fugit* VLADISLAUM ELECTUM *Regem* Hungariæ *fuiſſe,& pro defenſione noſtræ patriæ, Marte aperto ad* VARNAM, *cum potentiſſimo* Turcarum Imperatore AMURATHE *fortiter animosè, & magnanimè planè depugnaſſe, in eodemq; prælio mortem oppetiiſſe. Sed ſiquidem* Corona Sancta, *coronatus non fuit, nulla ipſius* Privilegia *monumentum aliquod habent. Sic nec* MAITHIÆ PRIMI *donationes, toto ferè ſexennio ante coronationem emanatæ,niſi poſt coronationem per eundem fuiſſent confirmatæ & ſtabilitæ, vigoris vel firmitatis alicujus ſunt.* Ungariæ *certè Reges maximum dignitatis vigorem,decuſq;* à Sacra Corona *petere habereq; exiſtimant, huic* condere leges,ſalutares utileſque,inutiles antiquare *permittant.Hanc velut* legem legum *ſtatuunt,hanc pœnarum ac talionum diſcrimina penſare,huic* juramenta *ſolennia præſtare,huic* hæreditates ſacras & prophanas *adſcribere dicareq;, peculiaq; omnia ſua, tanquam ad fontem unde omnia profluxerant redigere* Hungari *conſuevere; unde* caſtra *complura*, & Civitates Liberæ ac Regiæ bona ſacræ Coronæ *nuncupata*, ſanctam & inviolatam obtinent legem, *ut nec Regi ipſi, nec cuipiam alii, mortalium, ad alium uſum fructumq; conferre* (*& ut nos loquimur*) *abalienare liceat.* De-

nique tanta vis ejus est, ut non saltem in legem Majestatis peccet, qui illam lædere præsumat: sed in ipsam religionem divinitatem delinquat. Hæc ille Comment. d pag. 50. & seq.

321. En aliud in Jure Consuet. part. 1. tit. 11. *Sciendum autem quod licet Papa seu summus Pontifex, utramque jurisdictionem temporalem scilicet, & spiritualem habeat, in collationibus tamen beneficiorum Ecclesiasticorum pro tempore vacantium in hoc Regno, summus ipse Pontifex nullam jurisdictionem exequitur, præter confirmationis auctoritatem: Et hoc quadruplici ratione.* PRIMO *ratione fundationis Ecclesiarum. Quia Reges Hungariæ cum soli fuerint omnium Ecclesiarum & Episcopatuum, Abbatiarumq;, & Præpositurarum in hoc Regno fundatores, per ejuscemodi fundationem omnem facultatem juris patronatus, nominationis, electionis, ac collationis beneficiorum, sibi ipsis acquisierunt & vendicarunt &c.* SECUNDO *ratione susceptæ Christianitatis. Quia Hungari non per prædicationem Apostolicam, vel Apostolorum, quorum Principis vicem & personam in terris Papa gerit, sed per institutionem proprii Regis eorum Sanctissimi videlicet Stephani Regis &c. conversi sunt ad Catholicam fidem. &c.* TERTIO *ratione legitimæ præscriptionis &c.* QUARTO, *quia ista libertas Regni &c. in generali ac celebri concilio Constantiensi &c. corroborata, juruq; jurãdi religione firmata fuit.* Huc quadrat Canon, quo Logici ita subsumunt: *Si id nõ inest, quod magis in esse videtur, nec illud inerit, quod minus in esse videtur.*

322. Redeo jam quasi è diverticulo ad *Testimonium humanum Particulare* ex quo plurimi autores Historico-Politici contraria opinione proficiscuntur. Joannes Aventinus verò, de Gregorii VII. concione habita Romæ, scribit lib 5. Annalium Bojorum (pag. 351. edit. Basil. in fol. anno 1615. qua docuit *Se majorum vestigia, patrum scita, placita magistrorum Ecclesiæ, legem divinam, summum cælestis thesauri jus se insequi, Christum dominum Deumq; nostrum Divo Petro, ejus successoribus Romanis episcopis censuram totius orbis humani detulisse; eosdem cælitus constitutos censores esse, qui judicarent de moribus, de curia cælesti atque spiritibus æternis, nedũ mortalibus. In arcanis sacræ historiæ contineri, divina oracula esse, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam: & tibi dabo claves Regni cælorum, quodcunque ligaveris superterram, erit ligatum & in cælis. Nemo omnium (inquit Septimus) ne Reges quidem atq; Imperatores hic excipiuntur,* Quomodo pro concione illa homines tunc temporis maledixerint & male precati sint Gregorio Pontifici, referant alii ex Aventino l.d pag. 352. pr. & m. non ego. Itemq; Conradi Episcop. Trajectensis Orationem pag. 317. m. & seq.

323. Josias Nolden de Statu Nobilium cap. 2. n. 83. *Quamvis Hungariæ Duces Regiam Coronam à Pontificibus acceperint Bodin. lib. 1. de Repub. cap. 9.* (Supra disq. 311.) *Pontificem tamen neque Imperatorem pro superiore recognoscunt* Reichs Abscheid / *de anno 66. zu Augsp. §.* Vber voriges haben vns 69. *Ibi.* Da doch solche Landtschafft/*intellige Hungariam*, dem H. Reich Teutscher Nation jhn nichts nit verwand oder zugethan. sic Nolden.

324. Neque Legenda S. Stephani, quæ jussu Colomani Regis à Carthuito Episcopo conquisitè sicuti in dedicat. Legendæ extat, descripta est, de oblatione vel traditione beati Petri, vel verbulo aliquam mentionem facit, nihil præterea Decreta S. Stephani & Annales Hung. de oblatione dicta habent aut proferunt; Quin hoc potius Carthuitus in Legẽda dicta & ex illo Bonfi. dec. 2. lib. 1. de S. Stephano pro certo referunt, se suumque Regnum in potestatem & perpetuum Patrocinium castissimæ virginis D. Mariæ addixisse, tenor verborum Legendæ iste est: *Erat interea Rex idem fidelis in omnibus actibus suis Deo perfecte deditus, per votum & oblationem seipsum cum Regno suo sub tutela perpetuæ virginis Dei genitricis Mariæ precibus assiduis conferens, cujus gloria & honor tam celebris inter Hungaros habetur, quod etiam festivitas assumptionis ejusdem Virginis sine additamento proprii nominis ipsorum lingua dies domini vocitetur.*

325. Votum hoc, & oblationem, ut omnibus conspicuam facerent quovis tempore, aurum & argentum Hungaricum, in Ducatis & minutiis æris, scilicet Grossis & Denariis, Effigie D. Mariæ, & non B. Petri cum hac inscriptione: PATRONA HUNGARIÆ, signant.

326. De Ladislao quoque 1. Rege, de quo disq. 300. loquitur, nihil quicquam tale Decreta & Legenda ejus, iidemque Annales produnt. Ladislaum verò IV. annuum censum non dependisse Pontifici Rom. ex Thvvrocz io planum est: *Insuper contra eum, quia Cumanicè & non catholicè conversabatur, Philippus Firmanus sedis Apostolicæ Legatus advenit. &c. Regem anathematis vinculo feriens, ut paganos odio haberet, ritũ Christianorũ diligeret; & thoro viveret cõjugali: sed nihil in Rege proficiens repatriavit.* part. 2. cap. 80. De cap. *Licet* &c. (de quo disq. 301.) ext. de Voto, addatur Lud. Molina HISP. de HISPAN. Primigen. lib. 1. cap. 9.

327. Exindè *Nova de Sacra Corona controversia* non erat, cum post Ladislaum dictum, Andreas III. Venetus voluntate Optimatum *Diadema sumpsisset*, ut opinatur Generosus Comes Petrus à Revva. Comment. d. l. pag. 25. m. f. Quia *in hujus imperio quidam nobiles Regni, Iohannes scilicet & Henricus Banus filii Henrici, ac Vgemus filius Poch de Wylak; aliiq; quam plures in Præjudicium Regis* ANDREÆ, *à Papa Bonifacio* VIII. *Regem petierunt.* Thvvrocz part 2. cap. 82. *Quorum ad instan-*

stantiam Papæ admittens quendam puerum XI. *annorum nomine Carolum. anno Domini* M. CC. XCIX. *vivente adhuc Andrea Rege in Hungariam destinavit.* autor d.l.cap 83.

328. *Secundum Andreæ Regis obitum, qui annos ferè undecim regnavit, inter optimates dissensio maxima oritur, atq; bipartito potentatus omnis planè dividitur. Nam quum pars maxima iniquo animo ferret, ob Caroli ingressum, qui Pontificia auctoritate sibi Regnum exposcebat, Vngaros eligendi potestate privari, eamq; præter æquum & fas à Pontifice usurpari: ne suo jure cederet, alium inducendum esse decrevit. Cæteri mitiore ingenio præditi, Carolo favebant. &c.* Bonfin.dec.2. lib.9

329. Ne itaque Hungari *libertatis suæ in electione Regis jacturam acciperent, quam nimirum per* PONTIFICIS BENEDICTI NONI CAROLO *Vngariæ Regni habenas suffragantis auctoritatem, censuram, & anathematis severitatem læsam existimabant,* VENCESLAUM VENCESILAI *filium tredecennem e Boëmia vocarunt.* Comes Petrus à Revva. Comment. d. l. pag. 26. *Vt Regni susciperet gubernacula Hungarorum:* NE REGNI LIBERI LIBERTATEM AMITTERENT IN SUSCEPTIONE PER ECCLESIAM DATI REGIS. Thvvrocz. d.l.cap.84.

330. *Ac adeò veteres illi Hungari libertatis amorem, cum religione Coronæ inviolatam conjunctamq; habebant, obliti beneficii summi ac veteris Benedicti Septimi à quo Sanctam acceperant Coronam, extremam etiam censuræ ecclesiasticæ vim, veluti fulmen adjectam contempserint.* Comes Petrus à Revva d.l. pag. 26. pr. *Verum hinc præ indignatione longè majus facinus est exortum. nam quum sacerdotes interdicta sacra servarent parêrent Pontificiæ censuræ, tunc plerique* Bonfin. d.l. *surrexerunt pseudosacerdotes & perfidi, qui manifeste divina populo celebrabant, & sacramenta ecclesiastica ministrabant publice interdictis. Insuper malum malo cumulantes pernicioſius, convocato populo, accensis lucernis, summum Pontificem Christi vicarium, Archiepiscopos & Episcopos universos Regni Hungariæ, ac viros religiosos communiter excommunicatos, altis vocibus promulgabant.* Thvvrocz. d.l. cap 86.

331. Postquam autem VENCESILAUS *partim propter incerta Procerum studia, partim Pontificis comminationes* CAROLO *æmulo Regno imminente, minus se tutum reputans* Hungariam sponte dereliquisset. Petrus à Revva. dicta pag. 26. m. *Ad hoc enim res Vngarica ipsa devenerat, ut præ intestina discordia nullum adhuc Regem solidum haberent. Quinetiam illud magis Vngarorum animos exacerbabat, quod creandi Regis potestatem, quam olim nunquam amiserant, nunc Pontificem eripere velle conspicarentur. Quod quum hactenus impetrare non potuerit, nunc ut extorqueat, ac tale jus vendicet sibi &c.* (Sequentia verba retinet Petrus à Revva disq. 330. (*ab omni Pontifice, vel in primis maximo alienum esse debet. Quicunque igitur Pontificiæ Voluntati imperio adversabantur, puerosq; Carolo infesti erant, cum magna nobilium manu conjurarunt: & Othonem Bavariæ Ducem loco Regis in Vngariam duxerunt.* Bonfin. d.l.

332. Serò tandem urgente Pontifice, ad CAROLUM recipiendum adducti, donec corona à LADISLAO WAYVVODA *Transylvaniæ capto ipso* OTTHONE, *& in carcerem detruso, eripitur,* WAYVVODA *&c. post multas tandem censuras, & gravissimas Pontificis monitiones minasque Coronam* CAROLO *tradidit, & omnium Ordinum votis atque studiis accedentibus & de more coronatus est, Vindicavit se à publico contemptu, & gentis discordia, in hoc Rege* CAROLO *Sacra Corona &c.* Comes Petrus de Revva. d.l pag. 29.m.

333. Et hæc sunto ex Testimoniis aliorum fideliter pro & contra Regni & Regis absolutam potestatem allata quam meis verbis illibatam sine ulla sententia definitiva, illis quibus interest dijudicandam relinquo protestorque hâc disquisitione nemini jus suum detracturum.

334. Citra tamen Controversiam hanc, alia suboritur, in quam incurrit Regis Hungariæ Majestas & potestas. Reinking de Regim. Secul.& Eccles. lib.1. class.2. cap.2. n.45. *Qui est tributarius alterius, ille Majestatis jura non habet.* Quia solutio tributi arguit subjectionē Decret. Greg. lib.3. tit.39. cap.2. *Augustin.* super Epist. ad Rom. *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit: & infra. Et vos subditi esse debetis. Ideo enim tributum præstatis: quia hæc est probatio subjectionis.* At Hungariæ Reges *olim & hodiè* tributarii vocantur ab Historico-Politicis.

335. *Olim* perstringere & eodem ferè quo cadaver loco habere Regum Hung. Potestatem non erubuerunt. Wolfgangus Lazius de Migrat. Gent. lib.7. inquit: *Tres in Hungariam Henrici III. insignes expeditiones factæ: in quarum prima, susceptā anno M. XXXIX, ad tributum Aba Rex Hungarorum compellitur,* Aventinus 5. annal. Bojorum: Ovo (al. Aba, Uvo, Obo &c.) *missis nunciis pacem supplex petit, partem Regni ab Hostiis & fontibus Mauri fluminis ad fines Charionum, & quicquid intra amnes Litham, Pischamq; continetur, quæ pars quondam D. Stephano amicitiæ causa tradita erat, Cæsari reddidit: insuper se quadringenta auri talenta Teutonica, totidem serica pallia mulctæ nomine tributurum, & tanto auri pondere, damnum à se datum compensaturum, captivos omnes, Gisalæ Reginæ quæcunq; Petrus ademerit, restituturū pollicetur: Pezilonem ducem, cū septem aliis optimatibus, in quos animadvertendi more majorum, si pactis non staret, & postridie Calendas Decembris verba promissa, factis non comprobaret, jus foret,*

foret, obsidem tradit. Idem ex hoc Lazius Chorogr. Beschr. K. H. d. l. cap. de Hungaris.

336. In secunda Petrum Regem. Sigebertus Gemblacens. Chorograph. anno M. XLIII. *Henricus Imp. iterum Hungariam ingressus, cum paucis Abbonem Regem de bello fugavit, & lanceam insignem Regis recepit. Petrum verò quem Abbo expulerat, Hungarorum Regno restituit, & Hungariam sibi tributariam fecit.* Sic & Lazius Chorogr. d. l. cap. de Hungaris: *Anno Christi* M. XLIV. ist der Keyser mit seinen Teutschen vnnd Behaim auff Stulweissenburg gezogen / allda König Peter eingesetzt / vnd jhme in der Kirchen das Land Hungern als einem Vasallen verlihen.

337. *In tertio procinctu, qui fuit anno M. XLVI.* Lazius de Migrat. d. l. *Cæsar in Vngariam navigat, Albamq; Regiam petit. Vbi honorificè Quinquagenalibus excipitur. Ipso die festo Petrus advocata concione Regnum Vngariæ cum hasta aurata reddit, fasces Regni ad pedes Cæsaris deponit, cum maximo auri pondere, quod militibus suis Cæsar distribuit. Regio inde luxu convivium initur, cæna dubia apponitur. Cæsar armatus, armatisq; septus ob perfidiã inimicorum epulatur: septem ibi dies commoratur. Abiturus cunctos accersiri jubet, quos idoneos ducebat, eorum consilium habet. Ita more majorum ex concilii decreto Regnum rursus in fidem Petro tradit: Vgros sacramenta redintegrare imperat, eos non alium Regem præter Petrum & filium ejus recepturos, cæterum post horum fata in potestate Cæsarum fore, persancte dejerare, ritu solenni sancire præcipit.* Aventinus 5. annalium d. l.

338. Idem autor de Andrea Rege I. qui interempto Petro ab Ungaris anno M. XLVII. electus est: *Legatos ad Cæsarem in Italiam proficisci jubet, qui ipsum muneribus, purpuratos donis placarent, docerentque Petrum domestica seditione interemptum: percussores omnes pœnas dedisse, se à popularibus Regem salutatum. Quod si Cæsar autor fieret, se tributum quotannis pensitaturum, redditurumq; omnis conspirationis autores, pollicetur.*

339. De Salomone Rege qui *ob infeliciter res, auxiliis externarum gentium, contra patriam gestas, rejectus est* hæc habet Thvvrocz. part. d. cap. 54. *Rex autem Salomon, conquerebatur Cæsari* (Henrico IV.) *de amissione Regni, dicens: Quod de Regno suo violenter esset expulsus; & non tantum sibi sed magis Imperio Cæsaris hæc injuria esset illata: & dicebat; tua quippe Hungaria, tuum regnum, in quo me regem constituisti, me regnante optima quæq; regni illius tuæ majestati gratanter offerebãtur annuo censu; & secundum mandatum tuum tibi serviebatur* &c. Idem ex hoc Bonfin. dec. 2. lib. 4.

340. Hodiè *quoq; Turcarum Reges Imperatorem Germanorum tributarium vocant, propterea quod pacem ea lege dixerunt, ut annuum tributum pro fruenda Hungariæ parte fisco Turcarum inferatur.* Bodinus de Repub. lib. 1. cap. 9. Idem: *Cum ad vim prolapsa res esset, populus Turcarum opes eblanditus est contra Ferdinandum, cui tamen provincias, aliquot fruendas Turca reliquit, ea lege ut fisco vectigal annuum penderet. qua re, Turcarum Princeps, Imperatorem Germanorum se tributarium habere gloriatur.* Bodinus de Repub. lib. 5. cap. 6.

341. His non obstantibus, verum & sacrum omnino esse puto, jus absolutæ Potestatis & Majestatis penes regem & regnum Hungariæ residere, idque sequentibus potissimum fundamentis; Testimonio *Vniversali & Particulari.*

342. Universale *Ecclesiasticum* est in disq. 300. per totum, quæ disquisitio cum ante dictis collata, invicem explicationem suppeditabit.

343. *Politicum*, est in Constitutionibus Imperii, Reichs Abscheid de anno M. D. LXVI. zu Augspurg / § Vber vorigs haben vns Churfürsten / Fürsten / vnd Stände / in jhren bedencklichen anzeigen / vnter andern auch fürbracht vnd anlangens gethan. Dieweil sie nun etlich mal mehr gedachtem vnserm geliebten Herren vnnd Vatter / Keyser Ferdinandum / hochlöblicher Gedächtnus / jhr mitleidentliche hülff / zu rettung deß Königreichs Hungern / gutwillig erzeigt / vnd sich mit ansehenlichen *Contributionen* deß gemeinen Pfennings / vnnd anderer Reichs hilffen beladen / an Gelt / vnd Leuten getrewlich zugesetzt / auch jetzund vns zu allem vnterthänigstem Gehorsam / in ein mercklich ansehenlich hohe Reichshülff / abermals gedachtem Land / fürnemblich zu gutem einlassen / da doch solch Landschafft dem heiligen Reich Teutscher Nation / in nichts nicht verwand / oder zugethan.

344. Itaque rectè sentit Hermanus Kirchnerus de Legatis lib. 1. cap. 3. num. 21. *Bellum Vngaricum Imperii per se non est, sed regni ab Imperio separati. Neq; Imperator quoad titulum & dignitatem regis Vngarorum, à Germania agnoscitur & colitur: neq; causæ Vngaricæ in comitiis cùm proponuntur, ut Imperii, & ut propriæ, sed ut sociæ & confœderatæ, pro quibus intercedere apud exteros, legatione missa, cuivis amico & benefaventi rebus Vngariæ principi licet.* Idem ex hoc Josias Nolden de Nobilitate d. l.

345. Et Theodorus Reinking de Regim. Secul. S. Imp. Rom. lib. 1. class. 2. cap. 9. n. 26. *Cum verò tam Caroli V. quam Ferdinandi Impp. temporibus maxima auxilia Hungariæ nationi adversus Turcam exhibita, non sine ratione Maximilian. II. Imp. putavit, hoc regnum, si gratum esse vellet, Imperio uniendum d. Recess. de anno M. D. LXVI. §. Vber vorigs. ibi;* das es nicht vnzimlich oder vnbillich / das zu einer danckbarkeit gemelt

Land

Land zu Hungern/da es durch Göttliche milte Gnad/von dem Feind errett/in etwas auffnehmen gedihe vnd zu kräfften käme/es dem heiligen Reich auch zugewandt/verbunden/vnnd zugethan/auch gegen andern Feinden/wo sichs zutrüge/vns als Römischen Keyser/Churfürsten/Fürsten/vnnd Ständen/behülfflich beyständig sein/auch gleichfals mit in gemeine Reichs *contributionen* eingezogen werden solt.

346. *Particulare testimonium* est merum Historico-Politicum. Generosiss. &c. Comes Petrus à Revva Comment. sæpè citato pag 8. simpliciter propugnat, per beneficiũ Henrici III. Imper. factum Petro Regi Hung. ingentibus Germanorum copiis, Vngariam nunquam Vectigalem Germanis fuisse. *Quamvis nonnulli ex scriptoribus in ea sint opinione, quod illo tempore vectigalem fecerit sibi Vngariam, prætextu nimirum tanti beneficii, sed meo quidem per exili judicio, non sine injuria optimi illius Imperatoris. Neq; enim existimandum putaverim, vel in mentem magno illi Imperatori veniisse, oppresso à suis* PETRO, *& ad se tanquam ad sacram anchoram confugienti, sub specie aut simulatione auxilii inferre detrimentum, ut quidam refert; quin potius veram hanc Imperatorii facinoris laudem fatemur, atque æternam nominis ipsius celebramus gloriam? in sedem suam legitimum Regem collocare, dignitatisque pristinæ culmen restituere.*

347. Quod ut verum fiat *duplici telo effectum volumus, Rationis & Comparationis.*

348. De Aba *rationabiliter* Philippus lib. 4. Chronic. Henricus III. Imperator cognomento Niger &c. *Ovoni, pacem simulata humilitate suppliciter petenti, clementer ignovit.*

349. De Andrea Rege autor d. l. Henricum III. *post reditum ex Italia duabus expeditionibus Andream Vngariæ Regem, ut Petri necem ulcisceretur, frustra aggressum esse.* &c. & devictum esse ab Andrea Rege mediis non sanguinariis sed ingenti fame. Sic annales: *Cæsar ergo videns tot & tantis periculis se esse perplexum; misit ad Andream Regem & Belam Ducem, rogans perpetuæ pacis firmitatem. Dicebat enim, quod si Rex Andreas securum ei iter præberet ad revertendum, & exercitui suo fame oppresso subsidia vitæ largiretur; ipse nunquam Andreæ Regi & successoribus ejus inimicaretur: & nunquam a modo Regem Hungarorũ vel dictis vel factis vel consilio lædere attentaret. Sed etiam si quis de successoribus suis ad debellandum Hungariã arma moveret, indignationẽ omnipotentis Dei incurreret, & perpetuo ejus anathemati subjaceret: filiam quoq; suam, Sophiam nomine, Salomoni filio Regis Andreæ daret in uxorem: quam primitus filio Regis Franciæ cum maximo dederat sacramento: propter perpetuæ pacis fœdera firmius roboran-*

boranda. Hæc autem omnia fideliter servaturum juris jurandi religione interposita confirmabat. Rex itaq; Andreas & Dux Bela magis amatores pacis, quam discordiæ seminatores esse volentes, pacem cum Cæsare composuerunt. Cæsar autem in propria persona sua jurejurando confirmavit omnia, quæ dixerat fideliter facturum. Tunc Rex Andreas solita Regum Hungariæ largitate utendo, misit Cæsari quinquaginta corpora immensorum Husonum, & duo millia lardorum, mille tauros in grates. de panibus autem plusquam secũ ferre poterant. Oves quoque & boves seu pecudes pascuales, & vini copiam superfluentem. Plurimi etiam Theutonicorum de immoderata ciborum ingestione & potus ingurgitatione crapulati & infusi, mortui sunt. residui verò à faucibus mortis miseratione Hungarorum liberati; relictis tentoriis, & clypeis, & universis suppellectilibus suis abjectis, adeò concitato cursu in Theutoniam redire properarunt, ut nec retro prospicerent. Ex hoc autem eventu locus ille, unde Theutonici tam turpiter dedecorati abjectis clypeis fugerunt, usq; hodie Vertesshegye *nuncupatur: Theutonici vero locum eundem* Schildberg *vocant.* Thvvrocz. part. 2. cap. 43. Bonfin. dec. 2. lib. 2. Idem Lazius loci testimonio victus fateri cogitur Chorograph. d cap. de HUNgaris.

350. Aventinus verò 5. Annalium d. l. sive studio sive pudore scribit: *ultrò citroq; missis legatis Andreas pacem postulat, Cæsar annuit: uterque primarium Christi sacerdotem arbitrum capit.*

351. *Hic haud ab re Germanorum Annales erit admirari, qui Vngaros cum Andrea Rege ab Henrico III. perdomitos ac stipendiarios fuisse factos prodidere: quod procul à vero esse constat. Quonam modo desponsatam filio Regis Galliæ gnatam-rescissa præstantissima affinitate, Andreæ filio sponsam dedisset. nisi aliqua vehementi necessitate adactus, ad eas conditiones descendisset? Sed ut hanc perpetuam Germanorum & Imperii Romana in notam, divina magis, quàm humana opera inustam obliterarent, ex industria subticuêre: at contra fieri debet. Scriptor enim quisq; Historiarum, veritatis quam alicujus patrocinii affectator esse debet: quin & omni amicitiæ inimicitiæque carere oportet affectu, ut suam apud posteros auctoritatem retinere posse videatur.* Bonfin. d. l.

352. Largiendum est tamen sine contradictione Germanis, ab illis pacem redemisse Ungaros, non tamen Tributo, sed annua Pensione. Philippus lib. 4. d. de Henrico III. *Vngari pacem mulcta pecuniaria redemerunt, annua pensione, & auxiliis promissis sicubi foret opus.* Sic pecunia quæ Turcarum Impp. pacis fruendæ gratia quotannis mittitur Pensio & non Tributum est. Bodinus de Repub lib. 5. cap. d. *Imperator verò pensionem non tributum appellat differt autem hoc ab illo: quod tributum à subditis aut ab iis qui potentiorum vi coacti ut libertate ac pace fruerentur,*

rentur, pecuniam victoribus se daturos spoponderunt. pensio libera est seu à cliente, seu ab iis dissolvatur qui æquo fœdere societatem & amicitiam cum iis inierunt qui se se cum hostibus conjunxerint: seu ab iis auxiliares copias urgente bello accipiant. Idem autor. lib. 1. cap. d. *Differt autem tributum à pensione: hæc enim fiduciæ nomine, vel ut auxilia bello suscepto ferantur adversus hostes: illud vero pro pace fruenda, fere tamen is qui pensionem accipit, de tributo gloriatur: ut Reges Anglorum tributum appellabant pensionem aureorum quinquaginta millium pace Piquiniaca promissum, quoad Elizabetha Eduardi Regis Angliæ filia Carolo VIII. Ludovici Regis filio nupsisset. Philippus Cominius negat pensionem aut tributum fuisse: nihil tamen tertium dici potest. Ita quoq; Turcarum &c.* vide disq. 339. Schönborn. 5. Polit. cap. 10. Reinking. de Regim. d. lib. 1. classe. 2. cap. 2. n. 201.

353. Quamobrem ad disq. d. 339. *Respondetur, ex hoc, quod Imperator certam pecuniam seu annuam pensionem exsolvit Turcæ propter tranquilitatem, ac pacem publicam, ne excursionibus & vastationibus regionum suarum finibus damnum inferant, Majestas ejus non patitur naufragium. Nam Princeps in hoc sui officii memor, boni patris familias officio fungitur, qui nullis parcendo sumptibus, damnum, quod inevitabile est, avertit.* Reinking. d. l. n. 200.

354. At qui *à finitimis hostibus pacem redimit: perindè* facit, *ac si quis amicitiam luporum mercatus, multas sibi venas incideret, eorumq; ingluviem suo sanguine saturaret.* Nicephorus Gregoras Hist. lib. 8. cap. 15. Itaque Legatum Sobochtem Persarum Regis, Justinus *Imperator contempsit, & nullo numero habuit, dixitque amicitiam, pecuniis contractam, haud probari. Turpem enim & servilem esse, quippe quæ, pretio empta esset. Amicitia autem cujus ratio constans, & natura benefundata esset, æqualem non quæstu comparatam, definiri.* Excerpt. ex Hist. Menandri de Abaris.

355. Ad *Comparationem* me vocant Gregoras & Justinus. Næ! pacis hæ conditiones, Romanis & Hungaris nostrâ ætate non sunt turpes & probrosæ, si Atavorum memoria factas, Romano-Græcorum tantum Fœderum & Pacis conditiones cum nostris conferimus.

356. Salvianus Massil. de Gubernat. Dei, lib. 6. in fine: *Vbi nam q; sunt antiquæ Romanorum opes & dignitates? Fortissimi quondam Romani erant; nunc sine viribus. Terrebant Romani veteres; nos timemus: vectigalia illis solvebant populi barbarorum; nos vectigales barbaris sumus. Vendunt nobis hostes lucis usuram: tota admodum salus nostra commercium est. O infelicitates nostræ! ad quid devenimus? & pro hoc gratias barbaris agimus, à quibus nos ipsos pretio comparamus. Quid potest esse nobis vel abjectius, vel miserius? & vivere nos post ista credimus, quibus vita sic constat? Insuper etiam*

iam ridiculos ipsi nos facimus. Aurum quod pendimus, munera vocamus. Dicimus donum esse quod pretium est, & quidem pretium conditionis durissimæ ac miserrimæ.

357. Cunradus Rittershusius JC. Comment. in lib. d. ibi *Aurum quod pendimus &c. Verè ridicule: quasi nominum ea sit vis, ut per illa rerum mutetur natura, & quod revera est tributum seu vectigal seu merces pacis, ac professio quædam, si non subjectionis, saltem imbecillitatis virium, quibus par non sis ad resistendum, id simulato nomine Munus à te vocetur, idcircò & desinat esse quod est. Laudat hunc illustrem Salviani locum Cl. vir Isaac. Casaubonus, noster summus, Notis histo. August. in Spartianum pag. 31. &c. Hæc ille sanctissimus Episcopus: qui Theodosii & Valentiniani temporibus vivens in quo ferebat animo, Romanos Francis, quorum erat tum in Gallis recens imperium, tributa pendere.* Addo & *Hunnis.*

358. Narratiuncula veteris scriptoris apud Suidam est, ubi tacitè & facetè id objecit & suggilavit Romanis *Attila, cum Mediolanum urbem populosam pervenisset, & Romanorum Imperatores in aureis soliis sedentes, Scythas verò ad pedes eorum depictos vidisset: sua in solio sedentem, Romanorum verò Imperatores saccos in humeris ferentes, & ante pedes suos aurum effundentes pingi jussit.* Hæc Suidas in verbo κόρυκος. Ex quo Lipsius Comment. in Plin. Panegyr. not. 107. Albert. Molnar. Epist. dedic. in Lexico Latino-Græco Ungar. Pezelius Mellificio Hist. part. 3. de Hunnis pr.

359. Viva voce, narrat Priscus Rhetor, Legatos Attilæ hoc explicitè protulisse ad Imperatorem *Theodosium quidem, clari patris, & nobilis esse filium, Attillam quoq; nobilis parentis esse stirpem, & patrem ejus Mundiychum, acceptam à patre nobilitatem, integram conservasse. Sed Theodosium, tradita à patre nobilitate excidisse, quod tributum sibi pendendo, suus servus esset effectus.* Excerpt. de Legat. ex Hist. Prisci.

360. Quibus exemplis utiliter hoc addiderim ex Prisco d. l. *Pace facta, Attillas rursus legatos ad Romanos Orientales mittit, qui transfugas repeterent. At illi, legatos perquàm humaniter exceperunt, & plurimis donis ornatos, cùm nullos perfugas apud se esse asseverarent, dimiserunt. Misit & iterum Attilas alios legatos, quibus quoq; amplius muneribus ditatis, tertia ab eo, post illam, itidem quarta legatio advenit. Ille enim Romanorum liberalitatem, qua utebantur, veriti ut à fœderibus barbari discederent, ludibrio habens, novas subinde causas fingebat, & vanas occasiones legatorum mittendorum excogitabat, & ad suos necessarios, quos liberalitate complecti volebat eas legationes deferebat. Romani verò in omnibus Attilæ dicto audientes erant, & quæ præcipiebat, domini jussa ducebant. Non solum enim ad bella contra eum suscipiendo, eorum rationes abhorrebant. &c.* Plura de Roma-

nis Casaubonus apud Rittershusium. de Hunno-Avaribus & Hungaris, quot Impp. & nationes sibi tributarios fecerint Deo Volente in Causa Materiali dicetur.

361. *Quod si* igitur *Majestas hîc detrimenti quid caperet, nec ipse Turcarum Imperator illius particeps esset, qui Regi Æthiopum & illis populis qui Arabiæ montes tenent, magnam pecuniam tributi nomine quotannis solvere cogitur. Richard. Dieter. de sum. sum. Imper. potest. Conclus. 17.* Reinking. d. l. n. 200. *Bodin. Method Hist. cap. 5.* Schönborn 5. Polit. 10.

362. Nec Reges Galliæ, de quo ipse Bodinus lib. 5. de Repub. cap. 6. dicto: *Nostri Reges cum Helvetiis in societatem æquis fœderibus venerunt, ea lege tamen ut Reges arbitrio suo exercitum Helvetiorum ad hujus Imperii tutelam conscriberent: ac vicissim Helvetius adversus hostiles incursiones opem ferrent. Sed quoniam ad hujus Imperii tutelam frequentes exercitus ab Helvetiis acciri necesse erat, ne hostes hujus Imperii, Helvetios à Francorum societate divellerent, Reges nostri libenter pensionem mille aureorum in singulas civitates spoponderunt.* Sic Rex Moabitarum tributarius fuit Regis Israelitarum 2. Reg. 3. v. 4. & seq. addi Reinking. & Schönborn. d. l. Facessat ergo ista in S. Cæsariam Regiamq; Majestatem & potestatem insultatio: Neminem, ut disq. 292. dictum nisi Deum, & Ensem in secularibus recognoscit superiorem.

363. *Contingentia* sunt *Revelatio Angelica, & Divina Miracula.*

364. *Revelatio Angelica* per somnium visionis nocturnæ facta est Benedicto VII. Pontifici Romano. *Quid facit Deus, qui piorum consiliis & honoribus semper incumbit? Nimirum dexterrimis eos prosequitur auspiciis.* Bonfin dec. 2. lib. 1. *Eodem forte tempore Mysicha Polonorum Dux Christianam amplexus fidem cum suis, missis ad Romanæ sedis Antistitem nunciis, Apostolica fulciri benedictione ac Regio postulaverat diademate redimiri. Eam petitionem annuens Papa, Coronam egregii operis parari jam fecerat, quam illi cum benedictione & regni gloria mittere decreverat. Sed quia novit Dominus, qui sunt ejus, qui duobus per Apostolos, in Apostolatus ordinem, sorte electum Matthiam prætulit, & Apostolicum fecit supplere numerum: illa Corona ipsum decoravit, posimodum eundem felicius decoraturus æterna. Præfixa itaq; die, qua parata jam Corona, prædicto Polonorum Duci jam mittenda fuerat, nocte, quæ præcedebat, Papæ per Visum Domini nuntius astitit, cui & dixit: Crastina die prima diei hora, ignotæ gentis nuntios ad te venturos esse cognoveris, qui suo Duci Coronam à te Regiam, cum benedictionis Apostolicæ munere efflagitabunt. Coronam ergo quam præparari fecisti, eorum Duci, prout petierint cures sine contradictione largiri. Sibi enim eam cum regni gloria pro vitæ suæ meritis scito deberi. Iuxta ergo hujus visionis modum, præscripta sequentis diei hora præsul Astricus ad Papam*

pam pervenit. (disq. 295.) Hæc Legenda S. Stephani ex qua Bonfinius & Generosus. Comes Petrus à Revva. Comment. d. l. idem referunt.

365. *Miracula divina* illustria facta sunt in *Conversione Septentrionis & Trium Regnorum eodem tempore exordio; Legeq; Septemviratus R. I. Sacræ Coronæ coætanea.* Generosus &c. Comes Petrus à Revva Commēt. d. l. pag. 6. *Mirandum sane, & non sine eventu nostri hujus temporis considerandum, quod uno eodemq; tempore, cum exortu nostræ* Coronæ, *tot gentibus spes æternæ salutis oblata fuerat, & non solum Hungaris & Polonis, ut præmissum est, sed & Danis, & toti ferè Septentrioni detestari falsa numina, & falsum Deorum cultum abolere, divinitus concessum erat: Verum etiam Trium Politiarum ac Regnorum nova, & Christiana simul efflorurit constitutio, quæ in hunc usq; diem, non solum divini nominis & gloriæ professione gaudent: Sed etiam Romani Imperii penes Germanici nominis magnitudinem adhuc florentissimi, & stabilitatē, sua communi potentia adversus quosvis hostes conservant, & honorem sua societate augent. In ipso Romano Imperio coætanea, & non dissimiles sanctæ nostræ* Coronæ *fuit sanctio, illa per* Othonem *facta, & per Henricum ampliata & confirmata: qua sacrum illud Septemvirorum Electorum Collegium constituitur, & per annos Sexcentos diligentissimè servatur, qua solis Germanis, & certis quidem Principibus eligendi & creandi Principem, potestas datur, qui statim Cæsar & Romanorum Rex dicitur.*

Quis enim non admiretur tempus illud felicissimum & sanctissimum? quo tot Inclyta & præclara rerum in Christiana Republica contigere decora & miracula. Hæc diligenti observatione & decenti oratione Illustris Comes.

366. *Consequentia* fuerunt Henrici II. Imperatoris *Confirmatio* super *Regni titulum*, & *Affinitas* cum eodem.

367. In Confirmatione *Dubium non est, Cæsarem esse omnis dignitatis & nobilitatis fontem. Dd arg. l. 3. ff. de nat. restit. Schard. p. 4. de Feud. c. 1. n. 2.* Schönborn 5. Polit 15. Rosenthal de Feudis, cap. 5. de Regalibus concluf. 1. n. 3. Matthias Stephani de Jurisdictione lib. 2. part. 1. cap. 1. membr. 2. n. 69. Reinking de Regim. Secul. &c. lib. 1. class. 2. c. 2. n. 142.

368. *Propterea, quod si quis creetur Rex ab Imperatore, aut Pontifice, is eo ipso, citra ullam aliam concessionem, omnia hæc jura, tanquam omni Regi competentia, consequatur.* Rosenthal d. l. n. 4. lit. f. *Isern. in d. c. 1. n. 1. & 2. ubi ait,* quod hæc jura Regi competunt. *Buld. ibid. n. 8. Præpos. ante n. 1. Laud. n. 5. & innuit. Peter. Ravenn. in princ.* (inquiens esse res regni, quæ specialiter ad Imperatorem, aut regem spectant) & *Ferrar. Montan. d. n. 7. lib. 5. inquiens,* eum quem Imperator Regia dignitate emenere jusserit, *vel alios* Reges, *hæc Regalia omnia in suo* Regno, *sine alia concessione*

sione habere. Cæpall in d. tractat. de servit rustic. præd. c. 28. de portu. n. 2. M. Anton. Peregrin. de Iure fisci. lib. 1. tit. 2. de iis qui jur. fiscal. hab. 76. (quod procedit etiam in Regibus superiorem non recognoscentibus, *sicut Bald. & Præpos. d. locis, exempla dant de Rege Siciliæ, & Bohemiæ, & Claud. d. rubric. qui feud dare poss in prin. limitat. 2.*) *Boss. d. tit. de Regal. n. 2. & 3. ubi testatur hanc esse Comm. post Corsetum in tract. de potest. Reg. quæst. 49. & n. 13.* qui Bossius idem etiam dicit de Rege subdito. *Vult. d. c. 5. n. 6. lib. 1. vers. vel quod hodie &c.* (*usurpatione quadam inquit, cum alias, si de jure loquamur, non nisi Imperatori conveniant.*) Tradunt quidam, *Papam sibi quantum potest usurpare, sup. c. 2. quæst. 1. in gloss. e. quos sequuntur Menoch. consil. 298. n. 18. & seq. Hartman. Vult. de feud. d. loco n. 7. & Pruckman. in rubric quæ sint regal. c. 4. n. 11. ad quæ vide etiam M. Anton. Peregrin. de jure fisci, tit. 2. n. 36. & 39. & ei competere, esse communem Afflict. in d. c. 1. nu. 2 quæ sint regalia.* Hactenus Rosenthal.

369. *Cæpit ergò beneficio Ottonis tertii Polonia regnum esse. Eodem tempore Vngaria regni titulum usurpavit, quem post Ottonem confirmavit Henricus Sanctus.* Philippus Chronic. lib. 4. hoc scribit, & ex hoc Schönborn lib. & cap. d. & Comes Petrus à Revva disq.

370. De *Affinitate & Confirmatione* simul Aventinus 5. annalium Bojorum. *Adsunt Legati Vgrorum, pacem cum Hainrico, perpetuumq; fœdus componunt. Rectori eorum filio Geizonis, qui obierat anno Christi* DCCCCXCVI. *Gisala soror Hainrici despondetur, hac lege, atque omine, ut ille explosa falsorum deorum superstitione, Christi unius & veri & summi Dei cultum, cum popularibus reciperet. Accepit conditionem Princeps Vgrus: statim aqua lustrica tingitur, Stephanus appellatur, & à Cæsare Rex nuncupatur. Gisala &c. Cujus ope & consilio Vgri Philosophiam Christianam sectari cœperunt.*

371. Et Philippus lib. d. *Interea Stephanus Vngariæ Rex miserat Legatos, qui peterent in uxorem regi suo Gieselam sororem Imperatoris, quam despondit illi ea conditione, si suscepto Baptismo accepturum se professionem Christianam, & in hac perseveraturum promitteret. Quod ille cum fecisset, & conjugem impetravit, & ut regni titulus ei confirmaretur, obtinuit. Ab hoc Stephano, qui cognomentum Sancti à religiosa in fide Christiana perseverantia adeptus est, religionem Christianam in Hungariam introductam posteri sancte retinuerunt & coluerunt huc usque.*

372. De *Dote* Aventinus modo citato libro: *Quod ut facilius assequeretur, dotis nomine ei Coloniæ Bojorum Vratislaburgium, Pisonium, infra Phiscam amnem Oedenburgium, Sempronium, Sabaria, & alia pleraq; oppida, quondam Bojorum, infra Phiscam attribuuntur.* Etiam Philippus d. l. *Stephanum enim Ducem eorum Regio Diademate ornatum post conversionem ad fidem Christianam, affinitate sibi devinxit, data ei in uxorem sorore Gisela, & dotis loco addita parte Pannoniæ superioris infra Leucam amnem, ubi sita sunt oppida, Pisonium, Sempronium, Ödenburgum & aliæ.*

373. Admirandum in Germanicis Scriptoribus, quomodo in *Conversione S. Stephani* affectui largiter indulgeant & scribant eum *Gisalæ ope & consilio* suscepisse Christianam Religionem. Præter Aventinũ & Philippum, eodem affectu correpti sunt Sigebertus Gemblac. Chronograph. anno M. X. *Gens Hungarorum hactenus idololatriæ dedita, hoc tempore ad fidem Christi convertitur per Gislam sororem Imperatoris, quæ nupta Hungarorum regi ad hoc sua instantia regem adduxit, ut se & totam Hungarorum gentem baptizari expeteret, qui in Baptismo Stephanus est vocatus. Cujus merita per Hungariam multa miraculorum gloria commendat.*

374. Et Lazius Chorograph. Beschr. & c. cap. de Hungaris: Der Keyser gab *Gaisæ* jhren König dem Jüngern sein Schwester *Gisalam*, vnd gab jhr zu *Ascarichum*, der auch *Anastasius* genennt wird einem frommen Bischoffen zu *Fabiana* der Marck Österreich Statt die bekehrten den König sampt der gantzen Nation Hungern zum Glauben/vnd ward Gaisa in der Tauff *Stephan* genannt / der nachmals Canonisieret worden ist.

375. Quod si superius disq. 279. & seq. vera Conversio Hungarorum aliter non probata esset ex ipso Aventino & aliis autoribus, profectò in illâ completum fuisset aureum illud dictum D. Innocentii: *Error cui non resistitur, approbatur; & veritas cùm minimè defensatur, opprimitur.* Adeamus & audiamus de Affinitate hac, & nostrates scriptore; Legenda dicta S. Stephani: *Ad consortium verò præcipuè causa sobolis propagandæ, sororem Romanæ dignitatis Augusti videlicet Henrici qui ob mansuetudinem morum Pius est appellatus: Gyslam nomine sibi in matrimonio sociavit, quam unctione crismali perunctam gestamine Coronæ regni sociam esse constituit.*

376. Bonfinius dec. 2. lib. 1. *Contra verò Henricus Stephani præstantiam & ingenitam sanctitatem non ignorans, nihil ducebat antiquius, quam aliqua cum eo affinitate vinciri, qua infestissima utraq; natio, quæ tot annos cruentissima bella gesserat, reconciliaretur, & divi Regis sanctitas propagaretur: cujus sapientia ac studio factum erat, ut Vngari, qui finitimos diu Scythica feritate vexarant, in Christi fidem asserti, & vicinis & Christianæ reipublicæ salutares fore viderentur. Proindè postulatam à Pannonico Rege sororem, cui Gysle nomen erat, ultrò Henricus conjugavit, ut pari cum viro sanctitate certaret, pacemq; perpetuam inter Alemannos & Vngaros pacisceretur.*

377. Et hoc sensu vera hæc oratio Aventini d. l. *Gisala igitur fatale*

tale sortita nomen, Stephano tanquam obses & fidei vinculum nuptum datur &c. Gisala autem lingua Teutonum (Geisel) *obsidem valet; crebrum apud Germanos fœminarum nomen. Nam majores nostri, vim quandam divinam concordiæ amoris mutui inesse fœminis crediderunt, & efficacius obligari animos eorum existimarunt, quibus inter obsides puellæ quoq; nobiles imperarentur.* Hanc postremam sententiam Aventinus ex verissimo oraculo Taciti, in succum & sanguinem suorum verborum convertit, sicuti videmus de Moribus German. cap. 8. *Quam longè impatientiùs fœminarum suarum nomine timent: adeò ut efficacius obligentur animi civitatum, quibus inter obsides puellæ quoque nobiles imperantur. Inesse quinetiam sanctum aliquid, & providum putant: nec aut consilia earum aspernantur, aut responsa negligunt.* Adde Justi Lipsij not. 29. & lib. 2. Polit. cap. 3.

378. Falsissima rursus in tempore Aventini hæc sententia, quæ d.l sequitur: *Hanto, Wolfganger, Hermannus, Boso, Wentzeslaus, Bojorum optimates cum Gisla in Vngariam migrant: & more Teutonum Stephanum ense, baltheo militari accingunt, armis induunt.*

379. Fallor, aut Aventinus affectu ignorat ipsum se, aut tempus! Nimirum quia prædicti Bojorum Optimates inter alios Germanos tempore Geyzæ S. Stephani parentis in Hungariam venerant, vide disq. 278. Rationem assignavit Thvvrocz. part. 2. cap. 9. *Cum ergò quidam sint hospites ipso tempore nobilitate pares Hungaris: inquirendum est, quare istud esse habuit: cum Hungari numero ad implendam Pannoniam sufficissent. Geycha namq; Dux inter alios divino præmonitus oraculo convertere cæpit Hungarorum gentem ad fidem Christianam. & dum monitu illos convertere non posset, paganorum ritibus deditos & intentos, oportebat quosdam armis edomare, ad quod faciendum quia plures fuere fidei repugnantes quam adhærentes; necessarium habuit desiderium suum divulgare Regibus & Principibus Christianis. Quo audito, hujusmodi desiderio non solum juvamen transmiserunt: sed etiam personaliter adierunt, quibus Hungarorum crudelitas nociva & exosa &c.* huc refer seq. capitula, in quibus speciatim supradictos & plures recenset.

380. Quocirca mortuo parente S. Stephani, primus omnium Hungarorum Cupan, Simigiensis Dux fortis & potens, contra S. Stephanum, cum adhuc in juvenili esset ætate, insurrexit: *quia voluit matrem Sancti Regis sibi per incestuosum copulare connubium, & S. Stephanum occidere: ducatumq; ejus suæ subdere potestati.* Thvvrocz. part d. c. 28.

381. *Coacto demum exercitu ad Garam amnem castra locavit, ibiq; primum juvenis Deo deditissimus; defendendæ publicæ salutis, necessitate adactus, sibi ensem accinxit.* Bonfinius dec. 2. lib. 1. Magis ad intellectum Aventinus, & Thvvroczius d. l. *Ad amnem Garam primitus accinctus est gladio:* qui & verba hæc explicat. d. part. cap. 13. *Adierunt etiam istis diebus:* (Geyzæ videlicet) *Hunt & Paznan. qui Sanctum Stephanum Regem in flumine Garam gladio Theutonico more accinxerunt.*

382. Originem moris videmus apud Tacitũ de Moribus Germ. cap. 13. *Sed arma sumere non ante cuiquam moris, quam civitas suffecturum probaverit. Tum in ipso concilio vel principum aliquis, vel pater, vel propinquus scuto frameaq; juvenem ornant. hæc apud illos toga, hîc primus juventæ honos.* Tangit hunc morem appositè, de Audoi Langobardorum Regis filio Alboin, qui post parentem Rex Langobardorum erat, cum quo Hunno-Avares simul habitarunt in Pannonia, & *perpetuum fœdus inierunt* de quo disq. 224. & seqq. Warenfrid. in Langobardicis: *Scitis enim, inquit,* (Audion) *non esse apud nos consuetudinem, ut Regis cum patre filius prandeat, nisi prius à Rege gentis exteræ arma susciperiat.* lib. 1. cap. 23. Et capite sequenti: *Sumensq; Turisendus arma Turismodi filii sui, ea Alboin tradidit, eumq; cum pace incolumem ad patris regnum remisit.*

383. In hac significatione Suetonius in Flav. Vespasiano cap. 9. *Ornamenta pugnantium* dixit. Quem locum Politico-Criticè Illustravit Præclarissimus Dominus Præses, in Animadversionibus sive notis Suetonii Vespasiani lit. c. *Ornamenta dici pugnantium arma* (die Rüstung) *& hîc quidem speciatim ipsos mirmillonum gladios. Id pridem etiam notavit magnus ille Lipsius Saturn. 2. c. 17. ad quæ si placet, hæc addantur autorum locà Senec. 14. Ars ei constat, qui per ornamenta percussus est: id est, per ipsa arma.* Sic *ornare, est armare. Livius 29. c. 1. Diem iis; qua equis armisq; instructi ornatiq; ad esset edicit. Tacit. 5. Hist. 22. pauci ornati militariter. Idem in Germ. c. 13. Scuto frameâque juvenem ornant. Cicero pro Cæcin. Armatos, si Latinè loqui volumus, quos appellare verè possumus? opinor eos, qui scutis telisq; parati ornatiq; sunt. Idem 1. famil. epist. 10. Exercitus satis probè ornatus auxiliis. Huc pertinet & illud Iustiniani in Proœm Instit. armis decoratam, Imò generalius adhuc ornare, quomodocunq; instruere est.* Quæ omnia copiosè deducit & docet consequenter, honoris causa prædictus Cl. Dominus Berneggerus.

384. Et hæc hactenus sunto de *Causa efficiente* Regni Hungariæ. Ordinis ratio, institutæ *Disquisitionis* nunc expostulat plenariè dicendum de *Causa Materiali, Formali & Finali:* Sed ego hic sistere cogor variis de causis. Proindè vos mites & cãdidos Mæcenates & Patro-

nos quæso ut cessanti ignoscatis, causamque intermissionis cognoscatis, me totalem *Disquisitionem* non protelasse ignavia, aut diffidentia quasi oneri impar sim ferendo, erat equidem animus uno tenore hanc publicare, sed tempus me alio vocat, quod hac vice irrevocabiliter deest. Summo jam Numini & æterno Regnatori omnium. *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ipsi gloria in secula. Amen.* ut Apostolus ait ad Rom. 11. vers. 36. Hoc libamus!

LUBENTER CEDO, MELIORA
DOCENTI.

Sed jam addo.

GRA-

GRAPHIDEM FUTURARUM CAUSARUM ET JCONOGRAPHIAM EFFIGIERUM

NOn ambitiosa pompa, sed hac potissimum lege & conditione, ut animum & studium meum quo præcipuè perfectam volebam, ô Mæcenates & Patroni Inclyti videatis: Breviaria Causarum, tanquam obnoxios addictosque testes, censeatis; ac velut obsides subjectas has Imagines, capiatis. Si per se haud magnæ æstimationis sine explicatione, splendorem & lucem interim addent plurimis, *Sylloge Numismatum Elegantiorum Viri Ampliss. & Celeberrimi Antiquarii Domini Ioannis Iacobi Luckii*, editum hîc Argentinæ anno M. DC. X X. cujus favorabili concessione pleræque hæ effigies ab Iconographo sculptæ sunt, donec Sciographica facies totius Hungariæ consequatur: si ille volet, qui supra nos omnia vult & potest.

MATERIA.

1. Considerabitur *Comuniter* & *Singillatim*. 2. *Comuniter* Materiæ *Nomen* & *Terminus*. 3. *Nomen* Pannoniæ, *à Pannis, voce indigena* erat, Casaubonus ex Dione in Suetonium. 4. Nunc mutato nomine ab incolatu Hung. Hungaria vocatur. 5. *Terminus* qui ab omni Mundi parte distinguit Hungariam ab aliis locis est in *Situ Cælesti & Terrestri*. 6. Cælestis *locatur inter sexti, & septimi climatis medium, capiens 16. & 17. parallelos, & habet longissimam æstatis diem supra horas 15. cum semisse usq; ad horas 16*, Maginus. 7. *Situs Terrestris* quoad *Orbis antiqui partes*, est in *Europa*, minima sed excultissima parte Mundi. 8. Quoad *divisionem Europæ*, compræhenditur in V. Tabula. 9. *Tabulæ* Inferioris Pannoniæ facies Ortographica in terra continenti & circumflua adumbranda in *Quantitate* & *Qualitate*. 10. *Quantitas* est *Continua & Discreta*. 11. *Continuæ* quantitatis corpus est magnitudo longa & lata. 12. *At maxima ejus longitudo, à Patissi fontibus, vulgò* die Teisse / *ad Muræ*, die Muer / *confluentem, mill. Germ. LX. porrigitur, ac par fermè est latitudo*, Cluverius. 13. *Si Transylvaniam ei includamus Longitudo ejus est quadringentorum, latitudo ducentorum quinquaginta milliarium*, Philip. Honorius. 14. *Discreta* est in accessione

sione Regnorum & Provinciarum. Hæc cum aliquando angustior, aliquandò verò latior fuerit, *primum* tempus à medio, *medium* ab *ultimo* est discernendum. 15. *Primo* quemadmodum *non urbium modò imperiorumque, sed omnium ubique rerum, principia parva sunt.* (Gruterus) sic hoc ab *Exiguis profectum initiis* (Livius.) de quibus propriè actum in *Causa Effic.* 16. *Nisi quod postquam crevisset in populos* (disq. 151. in *Caus. Eff.*) & gentem

——— *parvaq; à sede profecta*
Dispersit cum Sole manus ———

(Claudianus) per Asiam scilicet & Scythiam utramq; usq; ad Magnum Attilam, qui *primordia* Regni semper *augustiora fecit*, sub quo *eò crevit* (Livius) ut *in mundo terrarum omnium metus* esset, videatur disq. 236. in Caus. Eff. 17. *Nemo unquam eorum, qui in Scythia, vel alibi regnarunt, tantas res tam brevi tempore gessit. Totius Scythiæ dominatum sibi comparavit, & ad Oceani insulas usq;, imperium suum extendit, ut etiam Romanos tributorum præstationi obnoxios haberet*, Priscus Rhetor. 18. *Mediis* temporibus O Fortunati Hungari! *computando à* SACRÆ CORONÆ *ortu* &c. vide disq. 270. Caus. Eff. usq; ad Vladislaum II. *Apud Historicos veteres reperitur vestrum Regnum florentissimum quondam fuisse, & hominibus & opibus beatum, cujus tanta longitudo latitudoq; fuit, ut ab Adrianopoli, mariq; pontico usq; in Austriam, & à Polonia usq; in sinum Adriaticum protenderetur. In cujus ventre septem amplissima Regna* (Quid si plura?) *claudebantur, quæ à Corona Hungariæ tanquam Feuda dependebant, ut meritò quidem non tantum Regem sed Archiregem habere dixerim.* Æneas Silvius. 19. *Vltimo* Uladislai tempore II. mox sensim labascere, & penitus post fatalem cladem & fædam mortem Ludovici II. ad Mohacz per Solimanum Imperatorem, fatiscere & defloreſcere incepit.

20. Ostendunt hoc subjecti

NUM-



Itaque, Proh malum!

Ex illo fluere, ac retro sublapsa referri
res Hungarica, sicq; affligi cæpit semper, ut ei posterior dies priore acerbior illuxerit; deq; tanto Imperio vix tot reliqua sunt oppida, quot Regna olim erat complexum, Gaspar Ens. 21. Quem casum fortuitum & infortunatum non sine gemitu & dolore expressit tam Latinè quam Græcè doctissimus Hungarus Joannes Filiczki de Filefalva.

Quo mea majestas? quo cessit gloria? quo me
Detrusit fatum & sævi horrida Numinis ira?
Quæ Regina prius: totum celebrata per orbem,
Victriciq; manu natorum septa potentum,
Incedebam: eadem nunc heu solioq; soloq;
Et sobole avulsa, (quam partim sustulit ensis:
Partim triste jugum premit) afflictissima linquor!
Cur non posse queri saltem licet? an quoq; fatis
Cautum: ne liceat casus lugere nefandos?

22. *Qualitas* est in *Figura* & *Dispositione*. 23. *Figura ejus quadra est, cujus latera quatuor mundi cardines spectant*, Cluverius. 24. *Introrsus*

illi Dacia est, ad coronæ speciem arduis alpibus emunita, Jornandes. 25. Dispositio est Naturalis & Artificialis. 26. Naturaliter Pannonii duobus saltibus, ac tribus fluviis Dravo, Savoq; Hystroq; vallantur, Florus. 27. Pannonia viro fortis, & solo plano, ubertoq;, Dravo, Savoq; inclytis amnibus circumflua, Solinus. 28. Artificialis Dispositio quæ? Consulturi Hunno-Ungari olim securitati suæ, novem Circulos extruxerunt circum-circa Pannoniam, quos Theutoni Hag dixerunt. Testantur hoc plurimi autores exceptis Annalibus Hung. 29. De Transylvaniæ, Naturali & Artificiali Dispositione simul, Jornandes: *Dacia &c. in conspectu Mæsiæ trans Danubium coronæ montium cingitur, duos tantum habens accessus unum per Bontas, alterum per Tabas.* Abraham. Ortelius: Rottenthuren & Broß *forte hodiè: his enim solum duobus angustiis Transylvaniam adiri posse recentiores tradunt.*

30. *Singillatim* termino Communi *Terminata* quatenus Elementa, copulantur. 31. *Elementum igitur in tribus consideratum vel Pellucidum est, vel Opacum,* Paulus Merula. 32. *Pellucidum verò, quod quia rarum, lumini est pervium. Cujus generis duo Aër & Aqua*; Idem autor. 33. Aër *Qualitatibus* suis & *Adjunctis* ambit Pannonios. 34. *Qualitate* olim *Pannonii aerem felicem* non *habebant,* Dio. 35. Hodiè Cobero *Substantialiter,* Rulando *Accidentaliter* malignus. 36. Verum enim vero *Hungaris uti propter singularem naturæ consensum aer est amicus, ita aliis gentibus est adversus, pestilens & vix tolerabilis.* Cl. Lansius. 37. Unde *castra in Vngaria, ultra mensem nullibi uno in loco habenda, ni præsentes segnitiei pœnas dare voluerimus. quod sordibus castrensibus nulla re magis, quam crebra stativarum mutatione obviam iri possit.* Coberus. 38. Adjuncta sunt *Venti & Aves.* 39. Tacitus de Germania scribit: *Ventosior qua Noricum & Pannoniam aspicit.* 40. Idem de Ungaria *compertum est &c. Ventorum impetu magis agitari,* Bodinus. *Liberrimo enim tractu à Cyrænaicis & transmarinis Africæ oris Pannonas Auster & Libanotus perflant,* Coberus. 41. Porrò Volatilia *& quicquid venatu vel aucupio capitur, quid attinet commemorare? Ita enim in his abundat Hungaria, ut interdicere rusticis, ne vel venentur vel aucupentur, pro re valde insolente habeatur: nec pene minus plebeiorum quam nobilium epulæ sint. &c. turdi perdices, phasiani, bonasi, & quicquid est ejusmodi, quod ad mensas delicatiores alibi expeditur.* Baro ab Herberstein. 42. Hac occasione nunc *unum quasi exteris miraculum recensebo. Festo divæ virginis, quo ejus nativitas Budæ celebratur, tanta venit multitudo turturum, quæ sunt me præsente numeratæ à Mercatoribus, viris fide dignis, ut fidem superet, posse reperiri uno die tot turtures, quæ publico foro distrahuntur. Supra enim octoginta millia & sexcenta sæpius numeratæ sunt, ut vix tot columbæ possent alicubi capi,* Cuspinianus.

43. Dixi de priore *Pellucidorum Aere*; alterum ejus indolis Elementum *Aquam* statui. Aquæ Regni Hungariæ quæ exhalationibus suis subinde *novos sibi sinus aperiunt, lambunt cottidie & abradunt insidum* alvei *marginem* effusioneque vehementi Pannoniæ terram fœcundant & cunctis animantibus potum tribuunt, præstant id *Natura* vel *Cura.* 44. *Natura: Aqua omnis, licet gravitate suoq; pondere ad lineam deorsum labatur, tamen non incommode partiri licet in Motam & Quietam.* 45. *Mota currens, frigidior, melior, levior, subtiliorq; Quieta & Stante: eo* in Ungaria *quæ perpetuo defluunt numero sunt Fontes, Fluvii, Rivi. Torrentes, & id genus aliæ; quæ gravitate sua per declivia feruntur, donec tandem in Marese exonerant,* subaudi Mare Nigrum, hoc est, Pontum Euxinum, Paulus Merula. 46. *Ad fontes porrò quod attinet, tota quidem Vngaria est fontana, sic, ut ubiq; locorum, telluxe vix ad pedes duos, tres ve rejecta scaturientes aquarum venulas reperias,* Coberus. Et ita erit *Fontium* consideratio *Generalis.* 47. Specialiter *quid de fontium limpidißimorum, atq; imprimis thermarũ scatebris dicam? quarum rerum omnium admirabilem copiam non ad voluptatem tantum, verum etiam salubrem usum huic Regno Deus munificè est elargitus.* Gaspar Ens. 48. *Fluvii* ne nobiliores & digniores, cum ignobilioribus confundantur, in duas Classes referendi scilicet, in *Majores & Minores.* 49. *Majores* sunt quatuor; *ut non immerito Veteres Hungari in Regni sui insignibus quatuor ductus, totidem præcipuorum fluminum, Danubii, Dravi Savi & Tibisci, imaginem representantes, usurparint. Horum tres priores communes sunt nonnullis aliis Regionibus, sed Tibiscum Hungaria sola totum sibi vendicat,* Georgius Wernherus.

50. In his *vertam vela, aut potius repetam portum; ita legendo littus, ut*

Alter remus aquas, alter mihi radat arenas

(Gruterus.) Id ut verum fiat ad Insulas appellam, quas Hungari sua lingua *Sziget* vocant. 51. Insulas has partiri licebit in *Perpetuas & Nativas.* 52. *Perpetuam* in Ungariam, *Primam, qua Austriam contingit, Danubius insulam facit, quam Cituorum insulam Ptolomæus, nostri* (Germani) *Scythicam appellant* die Schütt/ *incredibili fertilitate,* Gaspar Ens. Etenim *insula hæc totius Danubii propè nobilißima est, incipit sub Posonio bipartito fluente Danubio, ac desinit decimo deindè milliari, fluvio rursus coeunte: posteaquam à læva & Septentrione, Polonia scilicet & montibus Carpathiis, flumen Vagum in se accepit. Colonorum habet supra duodecim millia, ac fuit superioribus bellis semper intacta &c.* Sed hoc raptim ex Epist.

pist. 1. Joan Martin. Stella, de Turcarum successu anno M. D. XLIII.

53. Dividitur hæc in quatuor particulariter insulas, propter confluentium quorundam amnium in Danubium, qui cum illis, multis in locis scissum, has insulas efficit nomine *Czalokóz, Zigetkóz, Vagkóz, Rabakóz* Germanorum lingua nuncupantur die Schütt/ die Unterschütt/ die Rabnaw/ die Wagaw, Lazius. 54. *Alteram* ad Vicegrad nomine *Vizze*, insulam Andreæ. 55. *Tertiam* nomine *Czepel*, infra Budam ad civitatem Potentianum ubi Hunni primitus trajecerunt. 56. *Quartam* ad Mohacz, dubito num sit *Harazo* nomine, num verò ad particularem aliquam Cituorum insulam nomen *Harazo* referendum, quod Germanica significatione est der Raitzenmarck. 57. *Quintam: Erdödi* insulam. 58. *Sextam & Septimam* sibi vindicat Tibiscus antequam se cum duobus aliis amnibus misceat cum Danubio. 59. *Octavam* apud Belgradum. 60. *Nonam & omnium maximam apud Ripensem Daciam* Danubium habere scribit Ransanus. 61. Nec terra Croatiæ muliebri ignavia cessavit: sed se vindicavit, juxta confluentiam Colapis in Savum, in cujus medio Insulam sibi fecit, nomine antiquo *Segesticam*, hodiè *Zyziia*, quidã Landsburg vertit Ortelius ex Lazio. 62. Itemq; in finibus Rasciæ *Metubarim* insulam, hodiè *communi vocabulo insularum Sziget dici* scribit Lazius, *in qua extat oppidum Bibar nomine.*

63. *Nativæ* erunt Insulæ, quæ opera Hungarorum vel ad *Defensionem & Habitationem*, vel ad *Vsum* destinatæ sunt. 64. Vt ad *Defensionem & Habitationem* simul, *Laurinum & Komora*, munitissima fortalitia sunt. 65. Idem de aliis judicium erit, quæ in similitudinem Insularum circumquaq; aliquo amne ambiuntur: *inundationibus tamen* maximè *obnoxiæ* sunt, *à quibus gravissima damna non semel accipiunt.* Gaspar Ens. 66. Ad *Vsum*, acquisita sunt *Pomaria* cura hominum qui in flumine natas insulas arboribus frugiferis conseverunt, quales *sane singulari munificentia* DEI, *paternaq; providentia* alit Comitatus Posonienses, *& quidem in copia profert.* 67. Hæ verò insulæ non ita propriè quemadmodum *Perpetuæ* præcedentes Insel Germanice dici possunt sed verius Aw/ Wert/ Santbanck/ quia per alluvionẽ crescũt & decrescunt, planeq; per inundationẽ, fundi speciẽ comutant. 68. Sicuti apud nos Posonienses, ante aliquot annos *diluvies* Danubii, *subita inundatioq;*, per solutionem glaciei, ingenti ubiq; cum fragore & horrore, (quâ, *nonnunquam duplo driploq; majus inundat,*) & ineluctabili vi, Insulæ terras nomine Wottenburger Aw/ *imminuit & absorpsit*, scisa illa novo & profundissimo alveo, in duas partes. Quid? quod & patrum ævo inauditum erat, repentino quodam impetu simul dimidia civitas Posoniẽses ad Curiam usq; cum dimidio suburbio passa est eluviem per triduum, cujus summitates aquarum in extremitate civitatis eques superare non potuit. 69. *Minores* amnes, *quorum nomina etsi ab incolis corrupta, aliquid tamen hodiè* quemadmodum prædicti quatuor *majores* fluvii, *ex vetustate retinent:* ut sunt *Savaria, Corcoras, Arrabo, Grano, Marisius, Cusus, Alutas Bacunttus, Valdamus*, Lazius & Gaspar Ens. 70. Alii minores pæne innumeri & ut plurimum *Rivi & Torrentes* pro lubitu accolarum nomen habent.

71. *Sic se habebit Aqua moveri solita: species altera erit Quieta. Stantem Aquam ita appello, quæq; non nisi Vento agitatur.* 72. *Species Aquæ Quietæ, Lacus, Stagnum, Palus, & similes. &c.* Merula. 73. Lacus Hungaria habet vel *Nobiliores* vel *minus Nobiles.* 74. *Citerior* pars, *Lacus habet duos nobilissimos, Balaton & Fórtó*, quorum principalior der Plattsee Germanis, *tredecim circiter miliarium in longitudinem protensus* Sambucus. *Lacus Pelsodis* Jornandi, *Pelso* Aurelio Victori. 75. Alter Germanicè Newsidler See vocatur, *non ita longus, sed Balatone longè latior*, Sambucus. Hunc interpretatur Lazius *Peisodem* Lacum, *cujus Plinius in Norici vicinia post superioris Pannoniæ municipiorum enumerationem mentionem facit.* Creditque *eundem esse cum Lacu Felicis Antonini*, aut *à Siduni*s *Germanica natione, quorum Ptolemæus meminit &c. ut ratio etiam sit, à Pisone fortè, perindè ut proximum oppidum (quod Pisonium & barbarè Posonium vocant) hunc denominatũ Lacum fuisse.* Sic Lazius, quod proximè disquirendum erit. 76. *Minus nobiles* respectu horum, sunt sequentes. *Lacus Eczyed* inter Transylvaniam & Tibiscum. 77. Ad Giulam *Zarkad Lacus.* 78. Et inter Begh & Temes amnes *Lacus Beczkerek* ad Tibisci ostium. Lazius pro hoc *Temesvár Lacum* scribit. 79. *Stagna* sunt ad Papam & Theodosiam, Coberus. 80. *Paludes* Albaregalensis, Zigetensis. 81. Minutias ulterius persequi infinitum esset, quas quilibet pro arbitrio ex Annalibus & Tabulis Hungariæ promptas facere potest. 82. Post *Naturam* jam *Cura* operabitur. *Istrogranum perveniam, qui locus secundum Budam in Hungaria semper celeberrimus fuit, sede Archiepiscopi &c. Insignis. Hic ad radices montis, cui imposita arx est magnificentissimè extructa, qua labitur danubius, fons est tepidarum inclusus turri, in quam ex arce ductis eo per præceps muris descensus patet. Ex eo tanta manat aquæ copia, ut quondam molam frumentariam versarit, nunc machinam hausloriam similem tympano impellat, quæ aqua è danubio per subterraneum cuniculum in eam quam dixi, turrim admissa hauritur, & in arcem transfunditur*, Wernherus. 83. Simili *extrahitur hausto ad Smolniciam, quod oppidum ad arcem Zepusium pertinet, Aqua ferrum rodens, ex quo pereso ferro luto simile, cuprum fit*, Jdem. 84. *Hac ratione* olim *Solimanus, Budæ in ædibus, quæ quondam fuerunt Archiepiscopi*

Colocensis, amplissimum balneum pro sua, suorumq; salute fieri curavit, in quod è Danubio, per canales subterraneos aquam in multam altitudinem, ut est Budæ ad danubium situs, ducitur. Idem.

85. Fessus sum hauriendo aquam, ut ergo vires *se à lassitudine recolligant*. delibabo ejus *Qualitates* & *Adjuncta*. 86. Gratuitum liquorem per venulas suas pellucidas primo loco propinant *Fontes*,. 87. Horum *Qualitates* variè à quinque Sensuum principibus percipio, aut *Tactu*, aut *Visu*, aut *Gustu*, aut *Auditu* aut *Olfactu*. *Tactu* sentio *Calorem* & *Frigus*; & hos duos comitantur *gravitas, levitas; mollities durities; tenuitas, crassities; asperitas, lenitas* &c. 88. *Dicam primum de calidis, quarum pro Hungariæ portione, vix ulla regio plures aut salubriores habet*, Wernherus. 89. Hujus generis sunt *Budæ*; ad *Pesth*; *Pesthin in ripa Vagi supra Galgocium arcem*; *Istrogranum*; propè *Trinciniū*; ad *arcem Baimocium* in *Comitatu Thurocio ad Stubam*; in *Montanis inter Cremniciam & Semniciam, quæ calidæ vocantur Roselinæ*; In Comitatu Liptoviensi, ad pagum qui *vocatur D. Ioannis, fons est tepidarum contra scabiē. Restant inter calidas*, quædam *propè Waradinum, quæ vocantur D. Ladislai* &c. *His plerique inter omnes Hungariæ calidas primas tribuunt*. 90. Nec sua laude defraudandæ erunt, quæ ad *Ovár* vulgò Bugarisch Altenburg in collimitiis Hungariæ ad Deutsch Altenburg habentur.

91. Sed hæ cum ita *quædam caleant, vel ferveant potius, ut in eas missum ovum non minus cito, quam ad luculentum ignem elixetur; temperantur aut* Natura: *calidæ frigidis contiguæ* supra Budam, *ut qui hausium veniunt duabus urnis, eodem in vestigio altera calidam, altera frigidam haurire possint*. 92. *Cura* temperantur *calidæ ad Pesthien in ripa vagi* &c. & alibi. 93. *Sunt tamen præter calidas multæ aliæ salutares frigidæ in Hungaria, cujusmodi* sunt *in Zepusio geminæ*, quæ *statim atq; paululum profluxerint, lapidescunt*. 94. *Sed & maxime prædicatur, & à multis frequentatur fons ad Mislam, qui locus à Cassovia haud magno distat intervallo*.

95. *Cæterum non minus miraculi videtur habere quibusdam, quod in monte arci contiguo, intra specum quendam aqua per hyemem fluida, æstate ita congelata, ut refrigerandis poculis glacies inde peti soleat*. 96. Sic *non longè ab arce Leva in Comitatu Barsiensi*, &c. *est fons, qui tumuli in speciem assurgit, & subinde mutat fluxum lapidescente nimirum statim aqua*.

97. Et *Ad arcem Fileg, quæ inde in Boream euntibus, ocurrit in Comitatu Neograd specus est, in quo superne destillans aqua, continuò durescit. Ibi verò videas ceu statuas hominum consistere saxa ex hac distillatione concreta. Albus his color est, nec per se tantum sunt alba, sed etiam coloris albicantis usum trita pictoribus præbent*. 98. Sic tacta in illis *durities*; molior *crassities* cernitur in *Calidis propè Semniciam, quæ nec tantū ipsæ pro salubribus habentur, sed etiam cæterarum*, Idem. 99. Alterius quoq; fontis frigidarum in Zepusio; *lapides, pluviis aquis irrigata humo, & eo madore diutius manente dissolvuntur. Solent autem accolæ sic dissolutis & effossis ad opera cementaria vice calcis uti*; & hi *subterranei sunt*. 110. *Qui verò sub dio nascuntur, ipsissimi sunt lapides, tofi dicti, levitate & varietate & raritate non dissimiles pumicibus*. 101. *Asperitate* qua *ferrum erodunt*, ex quo cuprum fit, sunt aquæ in Zepusio ad Smolnicz ut dictum est supra. 102. *Visu* percipimus colorem in *Aqua Viridi ad oppidum Bistriciam, Germani Neusolam vocant, ubi fodinæ sunt æris oppulentissimæ &c. ex qua ubi subsedit, Chrysocolla colligitur*, hæc Wernherus. 103. Jam penitus *Gustu* cognoscitur sapor *Salutaris & Lethalis*. 104. *Salutaris* est vel *Laxans* & *Astringens*. 105. *Laxans* quem lingua anhela avidè excipit, ac voluptate afficitur eoque non læditur, aut exulceratur, est in *Fontibus naturalibus*. 106. Celebrat talem Coberus Medicus Castrensis: *Ad potum frigidæ non difficulter descendebamus: saluberrimi præsertim fontis viva scaturigine limpidissimas aquas suppeditante Fons iste tertio à Facia ex cujus latere Orientali castra metati fueramus, lapide, sub tecto, quo Turcæ, fontium admiratores, eundem convestierant, de concamerata porticu promanans, venulas suas, ex vicinis montibus, qui Austro recta oppositi auro, eoq; purissimo, dubio procul turgent, mutuabatur. Tam blando enim afflatu non solum intestina, sed ipsum cor, irrorabat: ut, experientia penitus convictus, salubriores lymphas nunquam me gustasse, nec unquam gustaturum, putem*. 107. *Astringens* est vel *Acidus* vel *Salsus*. 108. *Fontes acidos, & quas acidulas vocant, consulto prætereundos putabā, quod minimè rari sunt in Hungaria*. 109. *Ne non tamen ex his quoque aliquid delibem, celebres sunt in primis, alter in Comitatu Zolienſi ad arcem ejusdem nominis. &c*. 110. *Alia est non longe ab arce Leva in Comitatu Barsiensi, quæ non nisi ab haurientibus pleno vase perferatur domum, saporem amittit*. 111 *Ab hac quoque rursus acida alia haud magnis distat spacijs* &c. 112. Salsi indicendine? *Sunt ad fines Eperiensium fontes salsi tantæ acrimoniæ & salsuginis, ut inde sal excoquatur, qui ad omnis generis condituras, & in primis ad coquturam piscium cæteris utilior esse existimatur. Habetq; locus nomen ab his fontibus*: Hungaris Sóvár, *hoc est Salisburgum dicitur*. 113. *Item in Transylvania, ubi etiam piscinæ salsæ stagnant*. &c. 114. Sed armatos & Lethales quis avet noviſſe? *Eorum unus est ad radices rupium Sarmaticarum, Zepusio imminet, qui aves tantum ex eo gustantes necare dicitur*.

115. *Alii duo hoc famisiores sunt in Comitatu Saros, quos non tantum avibus, sed etiam aliis animantibus noxios esse ferunt*. 116. *Qualitas* auditu quomodo sentitur? *Est inter* lapidescentes *fons eximius unus ad pagum, cui apud Zepusienses Germanos à rivi murmure nomen est* Rauschenbach.

117. *Alter cæteris insignior prope arcem Zepusiensem ad ædem D. Martini, quæ sacrarum ædium in Zepusio princeps est. Hic scaturit, vel erumpit potius aquæ bullienti similis, cum magno intus murmure & strepitu, qui admota aure non sine admiratione auditur.* 118. *Olfactu* dicti fontes, omnes sua natura, *odore bono* sunt. 119. De *odore malo* verò, quia superius *in Comitatum Zoliensem, dum aquas persequimur, ventum est, non possum præterire hiatum terræ iisdem in locis famosum ob pestilentes expirationes, quibus aves supervolantes, & quævis alia animantia extingui constat,* Hactenus Wernherus. 120. Et hæ *Qualitates Fontium* ad prægustum tradentur vetusto more Hunnorum, *qui stando in limine cænaculi coram* Attila, *calice tradito ante accubitum, vota fecerunt. Quo facto, & calice degustato, ipsa solia, in quibus* Hunnos *sedentes cænare* præparatu adjuncta *oportebat, ingressi sunt,* Priscus Rhetor. 121. Nativa nostra *Adjuncta,* nunc labris primoribus (quod ajunt) attingam. 122. *In thermis superioribus supra eos fontes, quibus* Budæ *ad lavacra usus est, sunt piscinæ calidæ, in quibus nascantur & vivunt pisces, qui in frigidam translati, emoriuntur.* 123. *Item in Transylvania insunt* in fontibus salsis *pisces* &c. *Sunt autem sapidissimi, carne duriuscula, & ita impatientes aquæ dulcis, ut in eam missi, exanimentur.* 124. Sed redeo ad Istrograni sive Strigonii, Fontem illum tepidarum, de quo superius dictum, *largior est fons alter haud magno inde intervallo, qui in piscinulam quandam influens, in qua etiam media hyeme coaxantes ranas audias,* hæc habet Wernherus. 125. Quamobrem Busbequius *miratus sum, dum eo proficiscor, mense Decembri, cælo frigido, coaxantes ranas. id faciunt sulfure tepentes aquæ, quæ iis locis stagnant.*

126. Tandem recensebo *Qualitates* & *Adjuncta* reliquarum aquarum. 127. *Qualitates* Regis fluviorum danubii ne longius nunc deducam? *Non nisi prudentissimo sapientissimo conditoris consilio, factum credo: quod solus ex cunctis Europæ fluminibus Ister versus Orientem tendat; Natura, in hostes filii Dei, prono decursu suppetias ferente.* 128. *Nam ut de aquationis commoditatibus. (quæ quanti habendæ sint, verbis exprimi nequit) nihil dicamus, Vel hoc solum nullo auro æstimari potest: quod parvo negotio castra trans & cis flumen transferri possint &c.* 129. *Nec tamen Budam usq; latices illius insalubres, potuiq; minus commodas confirmo.* Sic Jornandes: *Danubius usq; ad medium sui dulcis est & potabilis &c. Sed ubi fit Ponto vicinior, parvum fontem suscipit, cui ex Ampheo cognomen est, adeo amarum, ut cum sit XL. dierum itinere navigabilis, hujus aquis exiguis immutetur, infectusq;, ac dissimilis sui.* Vide de fonte hoc si lubet quæ observavi disq. 146. in Causa Efficiente. 130. *Tibisco præreliquis post Istrum primas in castris nostris laute tractandis tribuerem: idq; ut tandem,*

Agria

Agria, Solnock & Buda receptis, fiat Deum precor. 131. *De reliquis Pannoniarum fluentis non est &c. ut aliquid ejusmodi prædicem vel polliceat: cum Rabnitza sive Arrabo, qui juxta Laurinum Danubio miscetur, satis profundo quidem gurgite pestiferas aquas & summe graveolentes volvat.* 132. *Item de Grano, Ypola & aliis judicatum esto.* 134. *Lacus Pisonius & Palottensis &c. vix nostram censuram subeunt.* 135. *Proclamamus idem Stagna plusquam nocentibus aquis, putresq; paludes.* 136. Proindè *Vngari: qui propriis & inquilinis, satisq; cognitis aquis plus satis diffidentes, eas ad necessitatem raro, ad voluptatem nunquam, admittunt: sic tamen, ut præmanso allio malitiam cruditatuum correxerint.* Et hoc modo *aquarum quidem, promiscuè omnium noxam, fætores, cruditates, limum, saburras deniq; receptissimo allii usu Pannones corrigere solent, ita quidem; ut omnibus, ab hac sola, Antidoto ad quodvis venenum tutissima, alexipharmacam mutuari posse certo sibi persuadeant. Allium igitur huic genti non minus in delitiis, non minus familiare, non quotidianum, quam panis ipse. quin multos reperias, qui hoc tutius quam illo carendum censent. Erodit quidem ignea sua qualitate quodvis crudum: utrum tamen Germanis, qui plerumq; bile plurimum consarcinata ad castra descendunt, in Vngaria conducat crebra allii commestio indagandum esset. Ad recens exhaustarum undarum fuligines discutiendas uno & altero frustulo forsan impune uteris; tu, qui peregrinus es, & advena Pannoniæ: si tamen potu meraciore indulseris, igni ignem addendo, plurimum aberraveris,* sic hactenus Coberus. 137. *Adjuncta* sequuntur: *Iam de piscium omnis generis copia quid dicam? quæ cum ad Danubium, Dravum, Savum, & alia minora flumina, tum ad Tibiscum, mediam ferè Hungariam ab Oriente & Septentrionibus percurrentem, tanta est, ut ferè qua minimo veneant, ac tantum non gratis dentur pisces: sæpe etiam vel gratis dati, non auferantur,* Baro ab Herberstein. 138. Jmò *adeò piscolentus est, ut si alveum excesserit & inundet in paludes, porci inde saginentur &c.* 139. *Capitonum hujus fluminis multitudo hinc manifestior fit, si quis consideret, quomodo in aere ad solem arefacti, & hinc saliti, plenis curribus in exteras usq; nationes ferantur. Quotannis Viennam ducuntur currus taliũ piscium innumerabiles,* Cuspinianus. 140. Et Wernherus scriptum reliquit se præsente, *millenos carpiones, veniisse centum numis Hungaricis, hoc est floreno ut vocant usitato,* (Tibisco sc. extractos.) *Vt fama sit apud accolas, duas illius fluvii partes esse aquas, tertiam verò pisces.* 141. *Neque esoces qui vulgo Husones appellantur, pisces sine ossibus, ut Mela scribit, ex Euxino in Danubium prodeuntes, in Hungariam usq; sunt ommittendi. Viennæ quandoq; uno die ducenti à me visi sunt, quandoq; plures. Vt interim prætream alia genera piscium infinita, quæ ex Hungaria Viennam deferuntur, quorum nec numerus nec nomina facile inveniri omnia*

possunt: Cuspinianus. 142. Sed de speciebus, nominibus & origine præcipuorum horum piscium proximè singillatim agam. *Præter hoc, quod optimorum & saluberrimorum piscium copia affluunt, feraces auri plærique habentur, in ea præsertim veteris Daciæ parte &c. quorum etiam nonnullis ab auro nomen est. Cujusmodi sunt tres cognomines Chrysi dicti, & qui Hungaris vocantur* Aranyas, *hoc est aureus &c. Rapiunt autem non ramenta tantum auri perenni cursu, sed etiam plerunque massulas, alias pisi, alia nucis avellanæ, castaneæve, aut juglandis magnitudine, quoties videlicet inundant: imbribusve, aut alia quapiam eluvie, aut arte inducta corrivatione aucti ripas, & ea, per quæ currunt loca, subruunt.* Wernherus.

143. Sed jam exulto qui terram tango, quam lætus lubensque percurrã: Eho! quanta materia? quæ silva? quis ingredietur sine errore & egredietur? Ordo igitur instituendus, qui ab universali aliqua notitia. 144. Ordiar ergò à *Personis* & *Rebus*: hæ enim ante omnia in ipso liminis ingressu, venientes excipiunt. 145. *Personæ* advenæ innumerarum gentium quadruplici Coloniarum genere in Pannoniam venerunt. 146. E quibus hodie certæ nominatæ supersunt in Hungaria. *Hungari, Valachi, Hunno-Siculi, Gepidæ, Septem Castrenses, Germani & Zepusienses, & Sclavi,* cum plerisq; aliis nationibus, prædominantur autem & rerum domini sunt Hungari, penes quos scilicet Imperium est. 147. Quibus hodie *imminet hostis potentissimus,* Turca qui *neque quicquam magis affectat quam ut* Hungaris deletis Pannoniam *suam in potestatem redigat.* 148 In Hungaris considerabimus Qualitates *Activas & Passivas.* 149. *Activas* in bono *Animi, Corporis & Fortunæ.* 150. Animo præsunt duo Rectores *Virtus & Vitium.* 151. Virtutem in Ungaris invenio *Naturalem & Acquisitam.* 152. Naturalem in *Ingenio, Indole & Lingua.* 153. *Hominum ingenia acuta sunt,* Ransanus. 154. Indoles dura, Beatus Rhenanus: *etenim duritiem hujus gentis vel ex eo colligere queas, quod infantulos suos primo die excarnificabant.* 155. Jornandes: *maribus fero genas secant, ut antequam lactis nutrimenta percipiant, vulneris cogantur subire tolerantiam.* 156. Idem de Hungaris Liuthprandus. *Quod si infans ploraſſet, occidebatur velut adulterinus atq; degenerans,* Rhenanus. 157. Hinc Apollinaris hæc capio:

Vulnere vel si quis plangit, cui flesse perisse est
Ac ferro peraraſſe genas, vultuq; minaci
Rubra cicatricum vestigia defodisse

158. Sic & Claudianus de Hunnis.

——— *fratresq; secare*
Ludus, & occisos pulchrum jurare parentes.

159. Idem fecerunt in morte Regum & propinquorum. 160. Hodierni *verò Hungari de pristina animi ferocia, & quam majores eorum ultro affectabant, duritie multum remiserunt,* Gaspar Ens. 161. *Indolem q; gentis ideò magis arduum scire, quod hoc seculo horribili clade perculsa est, suisq; moribus vix relicta, hinc urgentibus barbaris, potitisque magna parte provinciæ: hinc milite ex omnibus Europæ populis ad auxilium lecto, moraq; & multitudine, aliquid suorum morum sensim in illam regionem transfundente,* Jo. Barclajus. 162. *Scythica utuntur Lingua, ab omnibus finitimis diversa, quæ tamen aliis cum linguis permixta est,* Maginus. scilicet *earum rerum, quæ in Scythia & Iubra non extãt.* vide in Causa Efficient. disq. 200. f. 163. Hanc magnus Scaliger, unam Linguarum Europæorum, *Minorum matricum* esse scribit ad Paulum Merulam *quam ex Asia in Europam transeverunt crudelissimæ duæ gentes, Hunni & Avares.* 164. Cognationes cum aliis Linguis, utpote *Hebræa, Græca, Latina, Germanica, Sclavonica,* nunc monstrare longum esset. 165. *Acquisita* vel est in *Theorico-Practicis* vel *Mechanicis.*

166. In *Theorico-Practica* classe pono *Ecclesiasticos* & *Politicos.* 167. In classe Ecclesiastica *nedum Reges, verum etiam* fœminei sexus *& plebeiæ conditionis homines catalogo* (Legendam Sanctorum Regni Hungariæ puta) *sanctorum asscripti se superæthera conscendisse latantur,* Thvvroczius. 168. Peperit & *gravissimos Doctores, & inter illos longè eminentissimos, B. Martinum Turonensem Episcopum, virum planè Apostolis conferendum; & D. Hieronymum, propter Sanctitatis & doctrinæ magnitudinem inter Confessores & Magistros Ecclesiæ relatum.* Cl. Dn. Lansius. 169. *Paulum Pannonium Presbyterum: Christianæ fidei propugnatorem Zelosum. Extant ejus ad Constantiam Christo dicatam virginem, de Virginitate & contemptu Mundi lib. 2. claruit sub Theodosio Iuniore.* Johannes de Trittenhem Abbas Spanhemensis. 170. In *Politica* sunt Personæ *Publicæ & Privatæ.* 171. *Et quidni primo loco spectemus octo Imperatores quos magnos & augustos terrarum orbi felici sidere peperit Hungaria? Imperatorem Decium, Aurelianum, Probum, Diocletianum, Iovianum, Valentinianum & hujus fratrem Valentem atq; filium Gratianum,* Cl. Lansius. 172. *Privatæ* in artibus *Bellicis & Liberalibus.* 173. Ad Bellum Imperio Romano Ætium Patritium & Præfectum Galliarum sub Valentiniano, virum incomparabilem Mæsia genuit. 174. Audite ô Hungari! *ex vobis insuper Duces exierunt, qui & Allemaniam & Galliam & Hispaniam invaserunt,* Aeneas Silvius. 175. In Artibus Liberalibus *quod si aliorum exemplo per illustrium doctrina Hungarorum nomina eundum hic esset, fortè catalogus non minus foret prolixus, quam est Germanorum Gallorum vel Hispanorum. Quin producerem literatos, qui vel in privata fortuna penè Principum gloriam in re literaria amplificanda superarunt. Equidem* Ioannes

nes Sambucus in veteribus libris colligẽdis hanc laudẽ consecutus est, Cl. Lansius. 176. Et *Ianus Pannonius vir ille utraq; lingua eruditissimus, qui si à curis Reipub. se revocare potuisset, habuisset nostra ætas, qui cum universa vetustate certasset,* Bonfinius. 177. Idem dicere possemus de *Andrea Dudithio, Tullianæ eloquentiæ sectatore admirabili,* Lansius. 178. Quibus socium *Ioannem Delicasium Posonienſem I.V. Doctorẽ* adjungo. 179. Idemque & alios, quorum nomina commodiori tempori reservo, quia nunc *brevis esse laboro.* 180. *Opifices hoc est eos, qui dant operam Mechanicis artibus (si & multitudinem incolarum & regionis consideres amplitudinem) perpaucos inveneris,* Ransanus.

181. Posthæc Constitutionem Oeconomicam in *Ritibus* & *Moribus* mixtim *Vitiis* agam, quia ut Plinius scribit; *ut quod anteà vis imperium, nunc mores vocarentur.* 182. Bona corporis depinguntur à capite ad Calcem ex Substantia, quoad *Figuram, Staturam & Dispositionem.* 183. Ex Adjunctis quoad *Habitum.* Representabit interim veram hanc descriptionem Icon Hunni Antiqui.

184. Supereſt *Bonum Fortunarum,* quod respectu felicitatis consideratur in Hungaris quadrupliciter. I. *Rationæ Vitæ,* II. *Possessionis.* III. *Dignitatis.* IV. *Amicitiæ.* 185. Ratione vitæ bonum secundarium dicitur *Libertas,* cui opponitur *Servitus, Mancipatio & Captivitas.* 186. *Nobilium libertas* à S. Stephano Rege instituta est Decret. lib. 1. cap. 4. Repetita ab Andrea II. in Proæm. & Specialiter art. 7. Specialissimè per omnes Articulos, qui pro *Legibus fundamentalibus* Regni & *Aurea Bulla* habentur, quia *aurea bulla sua robaratas, libertates ipsorum* confirmavit, quod verbatim expressit Ludovicus I. in Confirmat. Decret. prædict. 187. *Et propterea cuncti Reges usq; in præsens tempus sibi succedentes, sacro priusquam Diademate coronarentur, super observando decreto ac constitutionibus ejusdem domini* Andreæ *Regis Prælatis ac Baronibus, & Magnatibus, Proceribusq;, & Nobilibus Regni hujus juramentum præstare consueverunt* Jus Consuet. part 2. tit. 14. 188. *Rustici* perdiderunt libertatem tempore belli Crucigerorum anno M. D. XIV. part. 3. tit. 25. restituta eis postea in Comitiis Posonienſibus anno M.D. LVI. art. 27. 189. *Sequuntur Bona possessionis, quæ partim posita sunt in divitiis, partim verò in aliis facultatibus ad vitæ commoditatem. &c. sufficientibus.* (Keckermanus.) 190. Insignibus fuisse Divitiis Hunnorum Reges multis indiciis & exemplis colligam. Attilæ, Chagani, cujus *thesauri à Carolo Magno direpti* sunt. *Hinc illæ divitiæ templi Maguntiacensis,* Beatus Rhenanus & Lazius. 191. Et reliquorum Regum Christianorum. 192. Sed & quidam privati divitiis ita exuberabant, *ut aliis in regionibus forsitan regulorum Divitias æquent,* Galeotus Martius de Urbano Jaurinenſi Episcopo & Thesaurario Matthiæ I. 193. Hos si non superabant, tamen non impares erant quædam Civitates. 194. Quid de Rusticis dicam? Uno exemplo ostendam; *Sunt in* Hungaria *rustici, qui centum capita boum in pratis pascuisq; habeant, nec eos inspicere dignentur, nisi in triplum aucto numero,* Maginus, ex quo Ludovicus Gothofredus. 195. In commune, quamvis omnis generis emolumenta habeat Ungaria, *quæ omnia ad exteras regiones exportentur: mirandum tamen est, parvas hujus Regni esse opes, cum contenti sint incolæ fructibus ac proventibus, quos terra larga manu suppeditat, ad transigendam commodè vitam: & has illi potissimas existimant esse divitias: his, solis se subsistere, his vivere ex animi sententia, his, si opus sit, alere se exercitum posse existimantes,* Ludovicus Gothofredus. 196. Restant bona dignitatis, quæ sunt vel *Generalia* vel *Specialia.* 197. Dignitas *Generalis* iterum est vel *Major,* vel *Minor.* 198. *Major* dignitas est tum *Honor* tum *Gloria.* 199. *Honoris* nomen in stricta & speciali significatione usurpo de eminentia Scythico-Hungaricæ gentis in antiquitate, & προτοποσία Regis, in dignitate præeundi. 200. *Hinc certamen illud inter Ægyptios & Scythas de fide primi generis* est, de quo Herodotus, Justinus, Lucianus, Aristoteles, Scaliger, Bodinus Goldast & Jacobus Gothofredus. 201. De jure Præcedentiæ Regis Hungariæ, autor ita est Ludovicus Demolinus Rochefortius in libro MSS. de quo disq. 299. in Caus. Efficiente dictum, Titulus est: *Christiani principes secundum ordinem Leonis, Adriani & aliorum in Camera Apostolica, Cancellaria & provinciali Catalogo dispositi, secundum ordinem sessionum à temporibus Othonis Magni, usq; ad Carolum IV. Cæsarem. I. Imperator invictissimus Romanorũ Cæsar Augustus. II. Imperator invictissimus Constantinopolitanus Cæsar Augustus,* Et mox: *Ecclesiæ & Orbis præsides, I. Christianissimus & Sacratissimus Francorum Rex Ecclesiæ defensor & protector. II. Rex Angliæ Serenissimus, Divi Petri Vectigalis præfectus. III. Rex Castellæ & Legionis Aragoniæ. IV. Rex Vngariæ. V. Rex Portugalliæ, VI. Rex Navariæ, VII. Rex Armeniæ, Legatus Asiæ & Protector. VIII. Rex Scotiæ. IX. Rex Cipri Asiæ Legatus. X. Rex Paliæ. XI. Siciliæ & Neapolis. XII. Rex Nordvegiæ, XIII. Rex Bohemiæ. XIV. Rex Poloniæ, XV. Rex Suetiæ & Gottorum. XVI. Rex Ierusalem. XVII. Rex Sardiniæ;* hæc ille. 202. Sic de Honore; *Gloria* erit in dignitate *Imperatorum* & *Regum* Hungarorum qui merenturv ocari Tympana Europæ & Asiæ; & *Privatorum,* qui Cymbala Europæ & Pannoniæ: qua, nomen & facta illorum longè latèque tam in vita, quam morte propagantur verbis & carminibus. 203. Sic de dignitatibus *Generalibus majoribus.* 204. *Minores* sunt *Laus & Bona Fama.* 205. Laudantur his verbis à Pio II. P. R: *Vngari, hactenus nostra*

ræ fidei clypeus, noſtræ Religionis murus fuere. 206. Et non minus à Dom. Lanſio: *Ipſi Hungari ſunt Patroni & Dii tutelares totius Europæ; digni vel hoc unico nomine, quorum majeſtatem omnes populi comiter conſervent.* 207. Idem: *Sunt Chriſtiani Orbis vigiles.* 208. *Ita velut,* DEI *Opt. Max. hominumq; conſenſu & arbitrio Hungaria facta eſt clypeus & arx Chriſtianitatis inexpugnabilis & antemurale tutiſſimum adverſus Turcas;* ſic ille. 209. Cujus Rex *continuis bellis, magno ſtudio, incredibili cura, ita ſe impio illorum conatui opponit, ut quod Germani, quod Itali, quod Galli, quod Poloni, quod aliæ propè omnes gentes ſecurius vivant, id ipſi uni ſecundum Deum acceptum referre debeant,* Georgius Draſcovitius Epiſcop. Quinque Eccleſienſis, de Ferdinando I. Orat. habita in Concilio Tridentin. 210. Et tamen cum in hoc prædicamento ſint Hungari, *Bona Fama* illorum à plurimis ſuggillatur. 211. Verum cum Juſto illo Lipſio: *Nos ſcimus arbores quæ juxta vias ſunt, ſaxis & fuſtibus peti ſæpius: & homines linguarum his telis, qui in limine melioris famæ.* 212. Reſtat *Dignitas* ſpecialis nempe *Nobilitas.* 213. Vocabulum Nobilitatis accipitur in Jure Conſuet. Hung. tripliciter: I. *Generaliſſime* pro Exordio Nobilitatis part. 1. tit. 2. 214. II. *Specialius* part. d. tit. 9. quando de Libertatibus agitur. 215. Etenim quemadmodum Barclajus ſcribit: *Non alia ingentior nobilibus cura, quam ne quid de eis prærogativis decedat, quas tam à multis ætatibus intemeratas habent. Et ideò major armorum pertinacia contra Turcas, qui in unam ſervitutem omnis claritudinis ſanguinisq; familias premit. Abſq; hoc, inclinatio animorum in illis timeretur, aliunde potius Reges quam ex Germana petituris.* 216. Simile quid Adam Contzen Jeſuita: *Nonne idem in Vngaria videmus, cujus majore parte Turcis prodita, & ſubacta jam olim, reliqua tamen portio principum, & nobilium virtute reſiſtit, imò & libertatem tuetur, hos tolle, cæteri nil magnæ laudis agentes, pacti agellos ſuos, & ædiculas magni illius imperii acceſſio fiet.* 217. *Specialiſſime* pro peculiari diſpoſitione in exercitiis militaribus & cæteris virtutibus & cauſis, quibus vera Nobilitas acquiritur, part. d. tit. 4. 6. & ſeqq. 218. Sic de dignitate ſpeciali: ſupereſt *Amicitia* vel *Propria* vel *Aliena.* 219. Propria amicitia firma non eſt inter Ungaros, ſed in perniciem Regni ſubinde *primores invicem diſſident, & plusquam Vaticanis ſe proſequuntur odiis, mutuisq; gladiis ſe conficiunt.* 220. Sic de Hunis poſt mortem Attilæ Jornandes: *quæ nunquã contra ſe pares invenerant, niſi ipſi mutuis ſe vulneribus ſauciantes, ſeipſas diſcerperent fortiſſimæ nationes.* 221. O Deus conſtantiſſimæ amicitiæ Præſes, repræſenta Hungaris ſalutare hoc Votum Joannis Camertis: *Eſſent utinam inter ſe ejus regionis primates unanimes. Ea enim ratione nedum illatam ab iis injuriam repellerent, ſed ultrò non minorem vim hoſtibus infer-*

inferre poſſent. 222. *Aliena* vel *Publica* vel *Privata.* 223. *Publica* iterum vel *Activa* vel *Paſſiva.* 224. *Activa* conſiſtit in Confraternitatibus & Pactis Gentiliciis Regis & Regni. 225. *Paſſiva* eſt in Tributis Imperatorum Regum & Populorum quos Hungari ſibi tributarios fecerant. 226. *Privata* in Vulgo eſt, de quo Barclajus: *Hungaros Germanosq;, vulgare viciniæ malum, ſuperba æmulatio inter ſe commitit. Probra utrimq; in domeſticis colloquiis ſæva, alternisq; vitia curioſe aut explorant, aut fingunt.*

227. Et hucuſque de Subſtantialibus *Activis*; Fatales miſerias *Paſſi* Hungari in *Peſte, Fame, Rapinis, Exactionibus, Excidiis, Cædibus, Tyrannide, & maximas Calamitates in creandis Regibus.* 228. Unicum Exemplum nunc apponã: Hungaria triennii ſpatio quatuor Reges habuit, unum mortuum vidit Andream Venetum, duos ſceptro privatos, Wenceſilaum Boemum & Othonem Bavarum, quartum Carolum I. non tam Regnum, quam ſpem ejus conſtanter retinentem. Repete Hiſtoriam breviter in Cauſ. Effic. à diſq. 327. usque ad 333.

229. Abſolutis his me converto ad Materiæ ſobolem alteram, *Rerum* videlicet. 230. Res quoad *Loca* & *Locata* bipartitæ ſunt. 231. Loca *Inhabitantur* vel *Coluntur.* 232. Inhabitantur *Defenſionis* & *Habitationis* cauſa. 233. Ad defenſionem, *Vrbes, Arces, Caſtella, Fortalitia.* 234. Ad Habitationem, *Vici Pagi, Villæ Privatæ &c.* 235. In *univerſum: Hungaria Oppidis, Arcibus, vicis pagis, villis ita frequens eſt, ut vel cultiſſimis Regionibus comparari, multis verò meritò anteferri poſſit,* Gaſpar Ens. 236. *Speciatim* verò Nobiliora Oppida in Citeriori Hungaria quam Ulteriori ſunt. 237. Nobiles *procul à cultu abſunt urbano* (*urbes enim incolere opificium, ac mercatorum eſſe putant*) *atq; in prædiis vicatim habitant &c.* Tubero. *Nec unquam ingrediuntur civitates, ut in iis habitent, ſed ut cito deſertis mœnibus in agrũ revertantur* Ludovicus Gothofredus. 238. Optimè magnus ille Scaliger: *Quin etiamſi muris incinctus non ſit vicus natalis tuus: nam ex iis maximi quoq; viri prodiere: & ſanitatem laudabis, quæ à murorum clauſtris malè ſæpe afficitur. Et libertatem celebrabis: quæ non cohibeatur, tanquam pecora præſepibus. Aurea ætate ſic habitaſſe mortales. Ad eum modum & vixiſſe, & regnaſſe Lacedæmonios. Apud Scythas nihil commendari magis, quam carere mœnibus. In fide audacia, robore civium perpetuum eſſe imperium. Intra murum deliteſcere, fugæ perquàm eſſe ſimilimum,* hæc ille.

239. *Coluntur* loca in terra *Inculta* & *Culta.* 240. Inculta *Montes, Sylvæ, Prata.* 241. *Montes Sarmatici, Hungaros à Rutenis, Polonis, Moravis, Sileſiis, & ea Auſtriæ parte, quæ citra danubium eſt, dirimunt, ad quos pertinet Carpatus, ita jam vulgata appellatione, ut omnis tractus Sar-*

maticorum montium Carpatus vocetur, qumquam mihi Ptolomæi descriptionem intuenti Carpatus iisdem, quibus Dacia finibus videtur terminari &c. 242. *Hungari vocant* Tarczal, *quod nominis lingua eorum à nudo, seu raso vertice dictum esse videtur. &c. pandit & in quosdam quasi ramos alibi eminentioribus, alibi mitioribus jugis diffundit, continentur oppida à Germanis Montana dicta &c.* Wernherus. 243. *Ac propagatur per Comitatus Turoczensem, Zepusiensem, Saroſiensem, Liptoviensem, cujus nomina Germanorum locorum incolæ aliis atq; aliis nominibus indigetant,* den Vatter / der Münch / der Wurtzgarten / der Schneberg. &c. 244. *Secundus est Matran Vinetis prope Agriam consitus,* Ex Lazio Gerardus Mercator. 245. *Tertius omnium ampliſsimus est* Mons *Transylvaniæ, qui silvis undiq;, unde ei nomen Latinum, & montium jugis clauditur, Hungaricè* Erdel, *Germanicè* Siebenbürgen. Cluverius. 246. Hinc lego apud Florum: *Curio Daciam tenus venit, sed tenebras saltuũ expavit.* 247. *Summitates illæ diviſæ in peculiares rupes nominantur. Hungaricè & Walachicè Makra, Czillag, Mezes, Kalata, Pogan Havvaſa, Biczgii, Sarkan, Buczeſt, Czerneſt, Fogaras, Hakzak, Királyuta & Vaskapu,* Lazius. 248. In Citeriori parte Pannoniæ primus *Cecius Norici mons* est Ptolemeo teste, *ampliſsimis jugis, ab Savi Draviq; fontibus ad Danubium usq; variis nominibus pertexitur,* Cluverius. 249. *Diciturque eum hodie totum illum tractum comprehendere, quem vulgo* Kalenberg / Schneeberg / Deũbsberg al. Demberg / Hertzberg / Semering & Plaitz / Idemque Hartberg / Seurig / Maßamberg / Cluv. & Ortelius ex Lazio. 250. Secundus est *Claudius Mons cujus Occidua juga à Cilienſibus* der Vogel oder Vogelbüchel / sambt denn Rochitzerberg im Sagor dicuntur, ex Lazio Ortelius. Idemque Lazius putat esse *Montem Regium,* Warenfridi, *ubi Biſontes nutriri ſcribit, additq;* Vogel *hodiè Vocari, ibidemq; supereſſe caſtrum* Königsberg *id est Regis mons., vocatum. &c.* 251. *Ejus Orientalia juga ab Hungaris Motay, Monoczle, Kisdarnocz, Wereucze, Rahocza & Athyna vel Athnyna vocantur.* 252. *Cetio ſequitur ad Septẽtrionem versus Geſſacus mons,* Ungaris *Szókel,* Lazius & Ortelius. 253. *Indè haud procul ab Iaurino mons, quem nonnulli vocant Pannonium &c. in cujus vertice ſitum est monaſterium B. Martini & qui vinetis vinoque ornatur,* Ranſanus.

254. Conterminus huic Verteshegy Schiltberg de quo in Cauſ. Eff. diſq. 349. 255. *Et in Comitatu Simigienſi Aureus Mons jugis ſuis à Palatonio lacu usq; ad Quinq; eccleſias ſe extendit ubi Machegy ſive ut alibi ait Meczekg ab accolis vocatur.* 256. Denique *in Comitatu Sirmienſi Almus Mons circa Sirmium in Mæſia ſuperiori est, ab Vngaris Arpataro & Tarczal cognominatus, à quo ad Meridiem & Savum in Sclavonia juga Claudij Montis dividuntur* de quibus num. 250, Lazius. 257. De Silvis

nunc:

nunc: in universum Pannonia, ſilvis horrida est. Appianus Alexandrinus: *Nemoroſa quippe Pæonum regio est.* 258. Sunt tamen præ reliquis duo aſpera & denſa, unus ad *Veſperinum* nomine *Bakon*, usque ad montem Pannonium. 259. Alter *Gotta nomine ad Dravum fluvium longe maximus,* Lazius. 260. Hos innuit fortè Florus ſupra num 26. *Pannonii duobus ſaltibus &c. vallantur.* 261. De *Pratorum* luxurie Busbequius: *Hungariam ingreſſus ea altitudine gramen fuit, ut præcedentem currum ſæpe poſterior non videret. quæ res magno erat argumento bonitatis ſoli* &c. Idem: *fæni imprimis nullum pretium: ſumere cuiq; licet, è plenis campis, quantum velit; ſecandi modo labor & vectura imputantur. quo magis admirati* &c. addi Cauſ. Eff. diſq. 14 f.

262. Specialiter qui montes inter hos coluntur, ad terram *cultam* referendi in qua propriè ſunt *Vineta Agri & Horti.* 263. In quibusdam horum montium terræ venis & meatibus conſiſtunt vel *Foſſilia* vel *Liquida.* 264. Foſſilia ſunt *Metalla & Lapides.* 265. *Si metalla quæras, quæ pars est orbis Hungaria fœcundior auro, argento, cupro, chalybe, ferro? Nam plumbi minus habet, & ſtano carere dicitur. ſi tamen carere eſt, quod nondum inveniri contigit. &c.* Baro ab Herberſtein.

266. Idem Cuſpinianus: *Affluit &c. Mercurio vivo argento puriſsimo, mediocri & tenui, quod triplici reperitur forma: ſic & auro quod effoditur in aurifodinis copioſe, & puriſsimum, in ſummo gradu.* 267. Ob id frequenter ab eruſcatoribus & falſariis monetarum in pondere diminuitur, ut non immerito ad cauterium præ cætero auro rutilet ſecundum effatum *Diogenis, cum interrogaretur, cur aurum palleret, reſpondit: quoniam plures habet ſibi inſidiantes.* 268. *Nec comentitium est iis in locis effodi quandoq; maſſas, alias puri auri, alias concreti ſaxi aliquid habentes, quæ aliquot uncias usque ad ſelibram, & libram, & hoc amplius appendunt. Qum liceat mihi dicere, cujus certos autores notæ fidei homines habeo, effoſſas eſſe, quæ quingentorum, imò quæ mille florenorum non modo pondus, ſed etiam precium elevarint,* Wernherus. 269. Lapides habet *Raros & Neceſſarios* 270. Raris: *Vt à minimis ordiar, affluit hæc regio Cinnabari, lapide Lazuli &c.* Cuſpinianus. 271. Item ad *Toccajam arcem non procul à Tibiſco Bolo Armenio, Germanis* Rötelſtein / Lazius.

272. In Citerioriq; Vngaria *ad Dotis oppidum collis præaltus attollitur, albi & rubri marmoris lapicidinis nobilis.* Gaſpar Ens. 273. Sunt etiam in Tranſylvania *lapidicinæ multæ, albi præſertim rubrique marmoris. Gignit & alebaſtrum, criſtallumq; imprimis laudatum,* Ranſanus.

274. Neceſſarios lapides de Sale ſaxeo vulgò Steinſalz accipio: *Abundat enim Hungaria ſale nativo, qui lapidicinarum modo cæditur in Maromaruſio,* Wernherus. 275. Itemque in Tranſylvania *montes*

salis lucidi, quod veteribus Salgemma vocatur, habet adeo longos latosq;, ut Rex aliquis ex hoc solo proventu ingentem posit alere exercitum: quod sine labore, non, ut fit in Germania, magnis cum impensis coquendo, exciditur. Cuspinianus. 276. *Abundat & Vicina Polonia hujus generis nativo sale saxeo, sed hic minus syncerus & solidus est Hungarico*, Wernherus.

277. *Liquida* metalla sunt in *Mercurio vivo Vitriolo &c.* sed de hoc num. 102. dictum est. 278. *Nec id tacendum puto in Transalpina regione inveniri montes, unde effoditur cera, & inde coquitur mirae aromaticis cupressum olens, unde fiunt ceraemiri adoris.* Cuspinianus. 279. *Et quod est mirabile, in Venetis in aurifero loco satis, aureae virgunculae, & ad digiti, & ad semipedis longitudinem quandoq; leguntur, cujus generis complures nos vidisse fatemur*, Ranzanus. 280. Hinc Amurates Turcarum Tyrannus Oratione milites ad oppugnandum Belgradum animaturus inquit: *Aurum, quod alii mortales rarissimis in locis laboriosissime effodiunt, Hungari, velut quoddam virgulti genus, etiam pullulans decerpunt.* Phil. Callimachus. 281. *Quod in montibus veluti quaedam ramenta copiose nascitur*, Cuspinianus. 282. Quamobrem de Almo monte in Comitatu Sirmiensi: *Vnum referemus inauditum & mirabile, quod nusquam gentium esse fertur. Nascitur enim ibi aurum ad similitudinem virgulti simile asparago. Nonnunquam verò sicut capreoli circa truncum vitis intorti ad magnitudinem plerunque duorum cubitorum, quod nos vidimus sæpe: sed ille aureus asparagus sive capreolus juxta vites natus, non est auri valde puri. Est enim venae auri renani, & annuli ex hoc naturali auro facti cum facile fiant, quis enim labor contorto auro digitum circumdare? Dicuntur sanare verrucas. Nam & ego quoq; ex hujusmodi aureis virgultis annulum posideo*, Galeotus Martius. 283. *Quis haec videns* hodie à Turca usurpari *non ingemiscat, ac doleat &c. tanti inquam Regni, quod in Europa unicum est & solum Archiregnum, tam* calamitosam *eversionem? De cujus bonitate & fertilitate nunc latius disseram, ut omnes intelligant, non abs re antiquitus Archiregnum dictum & habitum. Inprimis bonitas terrae, & fertilitas agri consideratur, quae vinetis fructibus omnis generis, hortis amœnissimis, agris fertilissimis adeo est excellens, ut nec Italiae quidem, quae flos mundi appellatur, cedere videatur: si eximas mala granata aut punica, quae aliis aeque nobilibus fructibus compensat, & dulcedine & sapore*, Cuspinianus. 284. *Affert grandissimos pepones* (in Austria Pluzer dictos) *pyraq; & prunavarii generis; vinum praeterea & panem; omnia sane exquisitissima, quibus nescio an quicquam melius ferat illa decantata & ab uberate soli tantopere celebrata Campania*, Busbequius. 285. *Vt tanquam Paradisus Dei, vel Ægyptus spectabilis esse videatur &c. Vomere ac rastro pane experte Campania*, Otto Phrisingensis.

286. Pro-

286. Proindè *gula & intemperantia militaris quovis Turca nostratibus* (Germanis) *hostilior, etiam ad Pannonas usq; omnes comitatur, sic ut plurimi pro delitiis Vngaricis damna necesq; paciscentur*, Coberus. *A Languore scilicet sive Lue Vngarica*, de qua non ita pridem quidam Medicinæ Candidatus hic Argentinæ carptim post *D. Martinum Rulandum & D. Tobiam Coberum* Disputabat. 287. *Meritò enim & quidem ipsa experientia suffragante, vix quintum locum Turcae hosti in Vngaria concesserò? cum impietas erga Deum; negligentia sanitatis publicae: privati commodi studium: livor & invidia Turcas multis post se parasangis relinquat*, sic Coberus. 288. Verè de expeditionibus Hungaricis, quovis tempore ferè factis hoc Petri Chrysologi dici possumus: *Bella gentium legimus superasse quam plurimos, quos tamen pugnas carnis legimus non vicisse: & audivimus eos dedisse delicijs pectora, qui dorsa hostibus non dederũt. Proh dolor victores vitiorum fuisse captivos: nationum dominos turpi servisse criminibus servitute, stetisse inter sævientes gladios, & inter enervata lenocinia corruisse*, sic ille. 289. *Non est igitur, ut tantum cœlo, soloq; hostili, quod cum reliquis Europae terris plurima communia habet, funestiores expeditionum eventus ascribantur: cum homo homini Sathan ubique locorum esse possit*, Coberus.

290. Et ut particularius de *Vinetis & Agris* loquar. 291. In *Vinetis* excolam *Originem, Species, Commodum & Incomodum.* 292. *Originem* Probo Imperatore, *factum accepere, ingenti belli scientia, exercitandiq; variè militibus, ac duranda juventute prope Hannibalem alterum. Namq; ut ille Oleis Africae pleraq; per legiones; quarum otium Reipublicae atq; doctoribus suspectum rebatur: eodem modò hic Galliam Pannoniasq; & Mœsorum colles vinetis replevit*, Aurelius Victor. 293. Et mox: *Vineas Gallos & Pannonios habere permisit. Opere militari Almum montem apud Sirmium, & Aureum apud Mœsiam superiorem, vineis consevit*, hæc ille. *Et provincialibus colendos dedit*, Diaconi, Hist. Miscellæ. 294. *Speciatim* verò *nunquid hæc regio Hungariae vina producit simplicia & tenuia, Vacienſia dicta, claritate aquam æquantia? acriora verò & fortia Summachia rubea & alba? Sirmienſia excellentissima, quae cum Cretico aut Corsico certare putant Vino, alba item & rubea?* Cuspinianus. *Vt par aut simile in toto terrarum orbe difficile sit reperire*, Galeotus Martius. 295. *Vnde motus Imperator Probus, vetuit vina coli omnia, praterquam in Pannoniis, hoc est Sirmienſia: & Gallis, quae excellunt in universo orbe*, Cuspinianus. 296. Taceo brevitatis amore *Vina*, quæ *dat* Hungaria *pro locorum diversitate diversa: plerisq; in locis etiam extra Sirmium, proventu & bonitate clara, generosa atq; excellentia*, Baro ab Herberstein.

297. *Commodum* maximum ex Vinetis his quibusdam, Romanos

perce-

percepisse discimus ex versibus Claudiani Poëtæ, *qui Stiliconem suum etiam à liberatis Pannonijs commendat, quos Quadi subinde rapinis exhauriebant & fatigabant obsidione, sic ut non liceret miseris Pannonijs vel agros colere vel vineas.*

——— hinc obsidione solutus
Panonius, potorq; Savi, qui clausa tot annis
Oppida, laxatis ausus jam pandere portis,
Rursum cote novat nigras rubigine falces,
Exososq; situ cogit splendere ligones.
Agnoscit causas, & collibus oscula notis
Figit, & impresso glebis non cedit aratro.
Exsectis incultæ dabant quas sæcula silvis,
Restituit terras, & opacum vitibus Istrum
Conserit, & patrium vectigal solvere gaudet,
Immunis qui clade fuit. ———

298. *Incommodum* intulit & vineas in nihilum redegit Crem Bulgarorum Legislator, tempore Abarorum, de quo disq. 41. Caus. Eff. videri potest. Novissima taceo & ingemisco. 299. *De agrorum fertilitate haud longe à Temesio longa experientia comprobatum est, quod si quis siliginem serat, tertio quoq; anno in triticum vertatur. Quis in hoc regno colonorum certat cum vicino de transgresso limite cespitis? cum liberum sit cuiq; quot velit jugera arare, aut serere*, Cuspinianus. 300. *Habet* etiam *Hungaria quædam frumenti genera nostris hominibus pene ignota, producitq; ager triticum, vel parum vel omnino non cultum*, Ludovicus Gothofredus ex Magino. 301. *Alioqui hæc terra tantum frumenti produceret, si coleretur, ut duobus regnis sat esset*, Cuspinianus. 302. Et in Transylvania *frumentum in tanta copia quotannis crescit, ut non tantum horrea impleant, sed etiam in summis acervis partim, partim in cavernis subterraneis ad multos annos conservent, sed hæc Transylvaniæ fertilitas conspicua est in nummis Trajanis, in quibus Daciæ abundantia notatur. horum nimirum pars altera Cererem habet manu sublatam hac inscriptione* ABUNDANTIA DACIÆ. &c. 303. *Legumina omnis generis profert, sed præter panicum, frumentum trigonum, ciceres, & fabas, nihil in victum humanum cedit*, Maginus. 304. In Hortis *fructuum, ut & aliarum rerum, magna copia est (exceptis malis aranciis, punicis, medicis ac limonibus, quæ quidem in Magnatum hortis quandoq; reperiuntur, illaq; potius delectationis quam utilitatis causa aluntur) ut alios intermittitur, præstantissima illa pruna damascena vulgo vocata, Cotonea, Cerasa, merantia, & dulcia, quæ cum marasticanis Italicis conferri possunt* &c. *communiter ubivis reperiuntur*, Maginus. 305. *Nec de cucurbitivorum pirorum magnitudine, & jucunditate loquamur, quæ tam grandia fiunt, ut ex eis unum vix utraq; manu ambiri possit.* Galeotus. vide num. 185. & 186.

306. Atq; sic in *Locis* progrediar: *Locata* erigam & ad loca formabo in corpore *Animato* & *Inanimato*. 307. Animatum est vel *Vegetans* vel *Sentiens*. 308. Vegetantium Historiam quatuor Libris expressit Carolus Clusius, *Rei Herbariæ apud* IMP. MAXIMILIANUM II. *Præfectus*, cui titulus: *Rariorum aliquot Stirpium, per Pannoniam, Austriã, & Vicinas quasdam Provincias observatarum.* Item *Stirpium Nomenclator Pannonicus*. 309. Præter has quas dictus autor habet exoriuntur in Transylvania *herbæ præstantissimæ, ut cæteras omittam, Rauponticum, Centaurium majus duorum generum &c. Rhodia radix &c. Appios bellonii, Libanotis prima Theophrasti &c. Ajunt & quidam Gingiber reperiri*, Maginus. 310. Sunt etiam quædam Herbarum genera Ungarico nomine à Regibus cognominatarũ, ut *Pimpinella Germanica, Saxifraga Chaba ire, hoc est, Chabæ Emplastrum. Nam ferunt Chabam Regem, Attilæ Regis minorem filium ex Honorii Cæsaris filia, post parentis mortem (cum Vniversum regnum Vngariæ intestino bello concuteretur, atq; acre prælium commissum esset, quod inter se dissentirent cuinam filiorum Attilæ Regnum cedere deberet, eoq; prælio omnes Vngari occubuissent) solum superstitem remansisse cum 15000. Viris, & illis quidem omnibus vulneratis, quos hac herba curasse dicitur, unde factum est ut postea ab eo appellationem sumserit*, Clusius. 311. Altera est *Gentiana, vulgo Cruciata dicta. Zent Lazlo Kiralyfvve: hoc est S. Ladislai Regis herba* &c. *Quæ à Trago & aliis descripta est* &c. *Hujus autem Regis tempore gravissima peste afflictam universam Vngariam ajunt. eum verò precibus à Deo obtinuisse, ut quamcumq; stirpem sagitta ab illo in altum emissa cadens feriret, utilem illam ad hanc luem curandam præstaret, hanc in Cruciatam decidisse referunt, qua deinde subditos pestis contagio liberarit.* Idem autor.

312. *Sentiens* est animal terrestre vel *Mansuetum* vel *Ferum*. 313. *Age differamus nunc de jumentis omnis generis, quibus bona pars Europæ pascitur, tauris, bobus, vaccis, capris, ovibus Vitulis, equis & equabus; quibus celeres currus, qui vulgò Gotschi ab oppido passim nominantur, quibus uno die quindecim millia passuum facile sine labore curere potest quispiam*, Cuspinianus. 314. Et hoc fit durante originis vi: Siquidem *Scythæ ferendis laboribus, injuria cæli toleranda fame, non ipsi modo se assuefaciunt sed & jumenta ad eum modum indurant, ut insuecta etiam aliis pabula petant, nec raro arborum foliis & fruticum surculis saturentur. Inde fit, ut militiæ tempus minimo illis sumptu, plusculo autem compendio peragatur. Neq; alia gens uspiam, quæ breviori tempore longiora itinera perficiat, aut militet tam peregre*, Vadianus. 315. Hac ratione Flavius Vegetius in opere de

Medicina Veterinara Hunnorum equos tali oratione commendat: *Hunniscorum longè prima docetur utilitas, patientia laboris, frigoris, fames. Est autem eis grande & aduncum caput, extantes oculi, angustæ nares, latæ maxillæ, robusta cervix & rigida, jubæ ultra genua pendentes, majores costæ, incurva spina, cauda sylvosa, validissimæ tibiæ, parvæ bases, plenæ & diffusæ ungulæ, tibia cavata, totumq; corpus angulosum, nulla in clunibus arvina, nulli in musculis teri, in longitudinem magis quam in altitudinem statura, propensior Venter exhaustus, ossa grandia, macies grata, & quibus pulchritudinem præstet ipsa deformitas, animus moderatus & prudens & vulnerum patiens,* hucusq; Vegetius. 316. In hoc tempus adhuc *pecoris certè adeò abundans est, ut jure mirari possis, unde proveniant tot & tanta boum & ovium agmina, quæ in exteras regiones, Italiam, Germaniam, Bohemiam mittit,* Baro ab Herberstein. 317. *Sunt publicæ nundinæ in Austria, die Vrbani, S. Victi, S. Vdalrici, S. Crucis & Catharinæ, quibus multa millia boum inducuntur, qui per Bavariam in Tyrolis ducatum & Sueviam feruntur. Præter hos qui hebdomadatim in urbe Vienna per totum circulum anni venduntur, semper ducenti aut trecenti simul: ut quispiam facile credere possit, exhaurir i boves ac jumenta omnia Hungariæ,* Cuspinianus. 318. *Nam cum per Moraviam, Austriam Stiriam, Slavoniam, perq; alias Hungariæ vicinas provincias multæ pateant viæ, per quas pecus agminatim expellitur: observatum est per solam viam Viennensem uno anno plus quam octoginta millia boum in Germaniam acta esse,* Baro ab Herberstein. 319. *Omitto, quæ per Segniam & Illyricum ac Dalmatiam, in Italiam abiguntur: quæ si quis uno anno enumeraret, altero deficere Hungariam arbitraretnr,* Cuspinianus.

320. *Quid de feris sylvestribus omnis generis commemorabo? cervis, hinnulis, & in altis montibus prope Themesum capricornis, capris Sylvestribus, quæ gregatim quando ambulant, timorem incolis noctu injiciunt suo strepitu, ut hostem aliquem potentissimum suspicari possis. Cepit una venatione Marchio Georgius centum & viginti cervos, me vidente, ut interim minores feras omittam, quæ libere possunt sine Principis edicto, quoties libet, quotcunq; capi,* Cuspinianus. 321. Magnitudinem Cervorum, ex Busbequio colligere possumus, qui de suo scribit: *Fuit cervus prægrandi & vasto corpore, quales ferè ex Hungaria autumni principio ad suos hymenæos in Austriam ascendunt.*

322. Et sic disponentur *Animata; Inanimata* partim quoad vivas causas *Animi,* partim *Corporis,* & denique *Fortunam,* quæ duobus prioribus in serviunt, locabuntur. 323. *Animi* causa sunt *Bibliothecæ, Collegia, Gymnasia.* 324. Buda in *Regia interiori &c. magna cura, Matthias Corvinus incomparabilis vngarorum Princeps* &c, Vadianus. *Bibliothecam thecam statuit, mira utriusq; linguæ fœcunditate completam: cultus quoque librorum luxuriosissimus,* Bonfinius. 325. *Hunc incomparabilem thesaurum in tyranni Turcici faucibus hærere cum dolore recordamur,* Præclariss. Dn. Præses Commentario in Agricolam Taciti. 326. Quæ Bibliotheca *clarissimis illis monimentis Regiæq; magnificentiæ spoliata est,* Vadianus. 327. Ita de illa Rittershusius in Salviano scribit: *Idem* BRASSICANUS, *qui Salvianum anno M. D. XXX. Basileæ edidit &c. Eam ergo hic subjicere volui non tantum propter insigne elogium Salviani, sed etiam aliarum rerum max. memorabilium causa, & propter incomparabilem ac irreparabilem in primis jacturam optimorum auctorum, quos Brassicanus vidit in Bibliotheca Regia Budæ, quam Turca paulò ante hanc præfat. vastavit.* 328. Post hanc anno M. D. L. in Transylvania Saxonum civitate Corona, Kronstat/ *Studio liberali præ cæteris hoc tempore clara, estq; ibi nuper constructa Bibliotheca, qua nulla in Pannonia post dissipatam Budensem Matthiæ Corvini Bibliothecam, cultior usquam fuit,* Reichersdorff. 329. *Collegium* celebre & frequens erat Vaciæ, *Musarum olim domicilium; jam verò quod ejus Vulcanus reliquum fecit, Mars sibi vindicavit,* Gaspar Ens. Latius vide de hoc, Wilhelm Dillich. 330. Reliqua Gymnasia & collegia præterire nunc cogor, pro quibus adnecto sententiam doctissimi Sambuci: *Quod autem Literarum elegantia, & quibus ad Humanitatem informamur, commodè in Pannoniam vocari, excolique cum laude potuissent, exterorumq; admirationem invenire: magna semper omnibus fuit opinio, & quotidie crescit, quod nec ingenia nostris, neq; conatus, minus voluntas defuerit. Quod si forte tot bellis, quibus perpetuis illigamur, viq; intestina, & externa labefactatã, impeditamq; dicas: quæro idem ego, cur saltem quo Tyranni furor nunquam pervasit, iis in locis Scholæ literatæ non fuerint, Scriptoresq; boni quibus expoliremur, recepti? Certè verò, ingenia literis contigissent, qualia, haud scio, an ullis gentibus ita copiosa, & ad Musas comparata universa videntur. Quam quidem laudem cum adhuc nonnullis partibus retineamus: tum de remotioribus à memoria nostra, velut clarissimum quoddam sidus præluxit* JANUS PANNONIUS: *Episcopus Quinq; ecclesiarum. Etenim, non solum æquales suos, opt. artium studiis, & imprimis Poetices commendatione superaverit: verum cum omni antiquitate certasset, de opinione, vel ex illo ad Paulum constat:*

Carminibus nostris nocet illud &c.

Hæc Sambucus. 331. Et de se ipso cecinit:

Ille ego Pannoniæ gloria prima meæ

Plura de Pannonio isto Sambucus in Poematibus dicti Pannonii.

332. *Corporis* causa sunt *Ædificia, Basilicæ, Porticus, Labyrinthi.* 333. Splendida *Ædificia* olim Hungaria non habuit, Otto Phrisingensis:

Cum vilissima in vicis vel oppidis ibi ex cannis tantum, rara ex lignis, rarissima ex lapidibus habeantur habitacula, toto æstatis vel autumni tempore papiliones inhabitant. Ad curiam Regis sui singulis ex Primoribus sellam secum portantibus conveniunt, ac de suæ Reipub. statu pertractare & discutere non negligunt. Hiemis algore in domiciliis qui habitant, id ipsum facientes. 334. Hac in re minime voluptati indulgebant, neque servituti obnoxii erant, quemadmodum Seneca de Romanis ait. *Culmus liberos texit: sub marmore atq; auro servitus habitat.* 335. Adeoque ut idem alibi loquitur: *Potest ex casa vir magnus exire.* 336. In quibus eadem ferè Hungaris erat ratio. *Excepta enim urbe Buda, & (si vis) Posonio, vix ullam tota Hungaria paulo splēdidioribus ædificiis constructā urbem videas. Quam consuetudinem ex vetustate retineri puto, militiæ & castris & longinquis bellis assueta gens, ædificandi curam neglexit: nec urbes aliter coluit, quam si mox relictura,* (vide num.) Busbequius. 337. *Qui lautiore sunt cum re, suas in hortulis habent delicias, inq; balneis, circa ædificiorum splendorem parum curiosi, quæ ut sint spatiosa & Habitatio ampla duntaxat operam dant. Vulgus in casis & tuguriis, tumultuario opere ac sine cura factis habitare consuevit,* Ludovicus Gothofredus. 338. Duravit simplex hæc pompa usque ad Matthiam I. Regem. dum alienis usus est sandaliis. 339. Etenim mutata sunt omnia *postquam Regina Beatrix ex Italia venerat.* 340. Matthias *Scythicis Italicos mores inseruit* &c. 341. *Pictores, statuarii plastici, cælatores ac lignarii, argentariiq; fabri, item lapicidæ operarii, & architecti ex Italia conducti, insanaq; his impensa salaria, divinus hinc cultus adauctus, ædicula regia accitis è tota Gallia, Germaniaq; cantoribus, exculta, quin & olitores cultores hortorum, agriculturæq; magistri ex Italia educti &c. Ad hæc igitur omnia exemplo suo imprimis omnes invitavit. Budensem arcem ubi præter magnifica Sigismundi ædificia nihil spectatione dignum erat, ex colere adorsus est,* Bonfinius. 342. Extruxit *intus atrium excelsum, magnitudinis mirandæ, in quod ex amplissimo circo rectis gradibus ascenditur, tanta horum latitudine, ut vicenis etiam liceat ingredi,* Vadianus. 343. *Extra arcem qua spectat in hortos, porticus subest. in hortis labyrinthus, ex arboribus consitis institutus,* Bonfinius.

344. Itaque *Fortunarum* species *Priscam* & *Novissimam* magnificentiā testantia, sub ipso renovari & celebrari cæperūt per succedentia sæcula ad præsens hoc tempus. *Priscæ* sunt Romanorum *Inscriptiones* & *Nummismata.* 345. Pannoniæ *Inscriptiones* exceptis iis quæ in Ungarorum Scriptoribus extant, qui Autores in Proœmio Lectori occurrent, extant passim in Libro *Inscriptionum Antiquarum* Justi Lipsii in folio patenti. 346. Et in Corpore absolutissimo, *Ios. Scaligeri* ac *M. Velseri*, ingenio ac cura *Iani Gruteri*, redacto sub titulo: *Inscriptiones Antiquæ, totius orbis Romani.* 347. Nec verò tantum prædicti de monumentis Inscriptionum, sed & de Vetustatis Numismatum testantur alii autores. Zamosius: *In Dacia reperiuntur passim numi Lysimachi, Alexandri Magni, Philippi Macedonis, Darii, Pergami, Herculis, Milonis Crotoniatæ, Semiramidis, Cotisonis, Cotyos & multorum aliorum, quorum vix vel nomina in librorum monumentis habentur, &c.* 348. *Refert Ascanius Centorius in bello Transylvanico Ferdinando isthic rerum potiente, magnam Lysimachiorum vim inventam ad Devam oppidum fuisse, qui certis & incertis auctoribus, uti solet, dissipati fuerint. Eorum plurimi imaginem Lysimachi hinc, aversa parte effigiem habent ac plerique pondere* διδραχμιαιοι *sunt,* hæc ille. 349. Natalis Comes, refert: *Non procul à Delta oppido, aquis rapidè labentibus è colle quodam magnum numismatum aureorum numerum fuisse detectum &c. ubi ex illis accolæ ad satietatem rapuissent, tamen aureum serpentem, tanquam custodem thesauri, & multa nummismata Georgio* thesaurario Regis Joannis *allata fuisse.* 350. Itemque ad *Varhely singulis ferè diebus Valachos invenias, qui rudera vertunt, ac lapides pretiosos, atq; numismata tam aurea quam argentea ex visceribus terræ, variaq; antiquitatis monumenta effodiunt.* Georgius à Reycherstorff. 351. *Imperatorum Romanorum nummi, uti pondere, ita & typo multiplices fuerunt, ac magna ex parte argentei, & ærei visuntur, rariores aurei, nimirum, quia ut ex Plinio constat, devictis gentibus illi pro auro argentum semper imperitarunt,* Zamosius. 352. Præterea in Pannonia octo Imperatorum (de quibus num.) *numismata aurea & argentea sæpe in agris Hungaricis reperiuntur, tantorum Regum ac Principum vestigia ac indicia,* Cuspinianus. 353. Visuntur & *Animalium Exuviæ.* Ransanus: *In Transylvania sunt Cavernæ in quibus sunt & multa & integra, licet nuda cute capita, cæteraq; ossa mortuorum Draconum. Nec satis reddi potest causæ, vel unde, vel quomodo talia monstra fuerint ad ea loca delata: eo præsertim, quod in ea Regione, ejusce generis animalia nequaquam gignuntur. Quanquam sunt, qui opinantur per diluviem ex Aphrica, aut ex locis aliis, ubi gignuntur Dracones, exundantium aquarum impetu, ea corpora illuc fuisse correpta. Ex capitibus autem illis unum mihi dono datum est, quod in rei tum fidem, tum memoriam, meis Italis ostendendum reservo.* 354. Fortunarum species Novissimæ sunt: *Imagines, Statuæ, Picturæ, Labyrinthi & Mæchanica quævis alia.* 355. *In arcis* Budensis *introitu (quum ego Budæ agerem) Herculis simulachrū visebatur ex ære factum tanta arte, ut tori etiam & venæ exprimerentur. &c.* 356. *Intus juxta atrium columnæ aliquot ex ære solido, & effigies passim operis statuarii permultæ,* hæc Vadianus. Quæ omnia singillatim describit & refert Bonfinius dec. 4. lib. 7. ubi & passim plura de Basilicis, Ædificiis, Imaginibus, Statuis &c. legi possunt.

1. SEquitur, per quam Regnum Hungariæ ipsam *Regiminis* essentiam accipit vel *Communem* vel *Specificam*. 2. Communes Imperii *Formæ* tres sunt: *Nam cunctas nationes & urbes populus, aut primores aut singuli regunt*, Tacitus. 3. Has tres pro diversitate temporum, Hungari sunt experti. 4. Primis enim temporibus *Democratiam* habebant: *Vnde advertendum quod quamvis olim populus iste Hungarorum dum adhuc ritu viveret gentilium, & non Regem sed Ducem, ac Capitaneos haberet directores, omnis potestas condendæ legis & constitutionis apud eos fuit*, part. 2. tit. 3 Prolog. cap. 6. disq. 23. Caus. Eff. 5. Paulò post per electionem Attilæ *Dominatus* factus. 6. Quo mortuo inter innumeros filios Attilæ in *Aristocratiam* versa est. *Nam filii Attilæ, quorum per licentiam libidinis penè populus fuit, gentes sibi dividi æqua sorte poscebant, ut ad instar familiæ bellicosi Regis cum populis mitterentur in sortem*, Jornandes. 7. Qui *regno diminuto, tum ex gentium subjectarum dissensione, tum ex pugnandi infelicitate, regnaverunt quidem, sed non in prori fortitudine*, Sigebertus. 8. Quoniam *Status*, sub illis quandoque, ac maximè sub *Chagani* Regis Avarorum *Dominatu* temperata erat, usque ad ultimam reversionem Hungarorum ex Scythia in Pannoniam. 9. Cum ipsorum adventu verò *Dominatus* degeneravit in *Democratiam* usque *ad tempora Toxi Ducis*, Thvvroczius. 10. Donec tandem Lege Regia nepos Toxi *S. Stephanus ex dignitate Ducali ad Regium fastigium evectus*, disq. 297 Caus. Eff. 11. Unde *Dominatus Monarchicus* effectus, qui *Primus & divinissimus Principatus*, (Aristoteles) constanti & veteri tenore fluens, jam sextum Sæculum complevit. 12. *Specifica Forma*, quam in Hungaria quæro, duplex est: *Togata & Militaris*. 13. Illius materies iterum duplex est: *Res Divinæ & Res Humanæ*. 14. *In Rebus Divinis* versatur religiosus *Sensus & Cultus* vel *Paganus* vel *Christianus*. 15. Sensu & Cultu Pagano *ab origine rerum, pro Diis immortalibus veteres hastas coluêre: ob cujus religionis memoriam, adhuc Deorum Simulachris hastæ adduntur*, Justinus. 16. Hinc non Romanis, & Neuris tantum, Solinus: *Populis istis Deus Mars est. Pro simulachris enses colunt*. 17. Sed & in universum Scythis usu receptum fuit. Mela: *Mars omnium Deus, ei pro Simulacris enses & tentoria dedicant, homines q; pro victimis feriunt*. 18. Et speciatim in Sacro hoc jus & inspectio *Scythis Regiis* erat. Herodotus. *Simulachra & aras & delubra facienda non putant præterquam Marti* &c. 19. Et mox de reliquis: *Marti verò sic prisco ritu apud quos q; tale extruitur templum: Sarmentorum fasces aggeruntur trium in longum latumque stadiorum mino-*

minoris tamen sublimitatis, desuper quadrata planities efficitur: triala-tera prærupta sunt, quartum acclive, per quod ascendatur. Et quotannis comportant centum quinquaginta plaustra sarmentorum, nam semper propter cœli tempestatem marcescunt. Sub hac congerie ferreus acinaces, qui singulis vetustus est, statuitur. Idque est Martis *simulachrum, cui annuas hostias offerunt cum aliorum pecorum, tum equorum, & plus huic acinaci quam cæteris diis. Ex captivis centesimum quemque immolant*. 20. Inde ex Herodoto mutuatus est Ammianus Marcellinus, hæc: *Nec templa apud eos visuntur, aut delubrum, nec tugurium quidem culmo tectum cerni usquam potest: sed gladius barbarico ritu humi figitur nudus, eum q; ut* Martem, *regionum quas circumeunt præsulem verecundius colunt*. 21. Quæ de Hunnis capio, qui olim illi *Scythæ Regij* erant, quamvis Fr. Lindenbrogius & alii summi viri in Ammianum, ad Alanos trahant. Ita enim mecum sentiet, quicunque Ammiani mendosum caput 7. lib. 31. totaliter cum Herodoti capitibus 64. 65. 66. 67 additis præcedentibus conferet in lib. 4 Tentavi idem leviter disq. 140. in fine Caus. Eff. 22. De Ense dicta pro Hunnis ad Ammianum notanda, quæ Priscus Rhetor in Excerpt. Legat. de Attila refert: *Neque verò illi parva potentiæ accessio contigerat ex eo, quod* Martis *ensis erat detectus. Hic tanquam sacer, & Deo bellorum præsidi dedicatus, à Scytharum Regibus olim colebatur. Et multis ante sæculis non visus, bovis ministerio fuerat tunc temporis erutus*. 23. Locum istum insignem Prisci, in Attila laudat Jornandes: *Gladius Martis inventus, apud Scytharum Reges semper habitus. Quem Priscus historicus tali refert occasione detectum. Quum pastor, inquiens, quidam gregis unam buculam conspiceret claudicantem, nec causam tanti vulneris inveniret, sollicitus vestigia cruoris insequitur: tandem q; venit ad gladium, quem depascens herbas bucula incautè calcaverat, effossum q; protinus ad Attilam defert. Quo ille munere gratulatus, ut erat magnanimus, arbitratur se totius mundi principem constitutum, & per* Martis *gladium potestatem sibi concessam esse bellorum*. 24. Idem ex ipso Bonfinius dec. 1. lib. 3. recenset, additque Attilam oratione quadam ad Hunnos dixisse: *Mater pridie ejus diei, quo me genuit, se in somniis puerum Scitum edidisse: cui quidem stanti demissus è cœlo* Mars *ensem accinxerat, flagellum divinæ iracundiæ dederat*. 25. Novissima de gladio illo fide non indigna memorat Lambertus Schafnaburg: *Rex Henricus in villam quæ dicitur Vtenhusen, prandendi gratia divertit. Cum q; refertijam ferventissimo accelerandi itineris studio certatim omnes caballos repeterent; accidit ut Lupoldus quidam de* Merspurg, *Regi carissimus, cujus opera & consiliis familiarissimè uti solitus erat, caballo forte laberetur, & proprio mucrone transfossus illico expiraret &c. Notatum autem est hunc ipsum gladium fuisse, quo famosissimus quondam Rex Hunno-*

rum

rum Attila in necem Christianorum atque in excidium Galliarum hostiliter debachatus fuerat. Hunc siquidem Regina Vngarorum, mater Salomonis Regis, Duci Bojoariorum Ottoni dono dederat, cum eo suggerente atq; annitente, Rex filium ejus in regnum paternum restituisset. Cumq; eum Dux Otto filio Dedi Marchionis Dedi juniori in argumentum pignusq; individuæ dilectionis ad tempus præstitisset, illo perempto, Regi, & per Regem Lupoldo huic casu obvenerat &c. Legitur autem de hoc gladio in Gestis Getarum &c. (supra num. 23.) *divinatumq; illi fuerit omnium tunc temporis aruspicum responsis, quod gladius idem ad interitum orbis terrarum atq; ad perniciem multarum gentium fatalis esset. Quod verum fuisse oraculum, multarum nobilissimarum in Galliis civitatum hodieq; testantur excidia, in tantum, ut gladius ipse vindex iræ Dei sive flagellum Dei à barbaris quoq; diceretur. Hæc quoniam gladij hujus mentio inciderat, per excessum sint dicta.* 26. Ex quibus omnibus prono quasi alveo profluit argumentū, Hunnos Scythas Regios fuisse, de quibus pluribus dictum passim in Caus. Eff. quod haud improbabile esse videri debet. Etenim eodem argumento Tacitus in Agricola *Britannos Origine Gallos fuisse, ducitur à similitudine religionis.* Præclarissimus Dominus Præses ibidem. 27. *Sensu & Cultu Christiano* hodie in Ungaria *Sacram Scripturam* tangunt & dirigunt *Romano-Catholici & Evangelico-Catholici.* 28. *Romano-Catholici* sunt *Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Præpositi* cum *Præsbyteris* reliquis. 29 *Archiepiscopi* duo sunt: *Strigonienſis & Colocensis.* 30. *Strigonienſis, Legatus Apostolicus & Primas Regni,* Lazius. 31. Habet *opulentissimum Archiepiscopatum. Nam florentibus rebus ad centum millia aureorum proventus se extendebat, nunc verò vix dimidium obtinet,* Galeotus. 32. Porrò *Hungaria habet duodecim Episcopatus opulentos adeò ut major eorum numerus cum Principibus & copiis militum & proventuum amplitudine, ubertateq; fructuum facile posit comparari. Habentur etiam ut Principes. In consilio enim Regiæ primi assistunt, familia ampla & culta utentes, & ut de more magnorum Principum est, non nisi prægustatos cibos potusque sumunt.* Idem Galeotus Martius. 33. Ex his decem instituit S. Stephanus. 34. Itemque Abbatiam S. Martini & Basilicam Albæ Regalensem, de quibus & aliis *Legenda S. Stephani,* Thvvroczius. 35. *Cum* etiam *pius Rex Ladislaus armatus esset humilitate, potens in pietate, præcipuus tamen erat in largitate. Omnes enim Ecclesiæ & monasteria regalia sive ab ipso sive à quocunq; alio fundata elemosinis ejus sunt locupletata. Unde merito usq; in hodiernum diem Elemosinas ei enarrat omnis Ecclesia Hungarorum. Duos quoque Episcoparus ordinavit & Regia largitate locupletavit,* &c. Legenda ejusdem. 36. *Strigonienſi* Suffraganei Episcopi subsunt: I. Agrienſis, *Egri.* II. Quinque ecclesienſis aliàs Peuchienſis, *Péczi.* III. Vesprimienſis, *Bezprinyi: cui ex veteri concesso privilegio, competit, Reginas Diademate inaugurandi atq; coronandi, qui & Cancellarius Reginæ esse consuevit* Perpetuus, *singularis Privilegii prærogativa,* Comes Petrus à Revva. IV. Jaurinenſis, *Győri,* V. Vacienſis, *Vátzi.* VI. Nitrienſis, *Nytrai.* 37. *Colocenſi & Bachienſi* suffraganei subsunt: I. Zagrabienſis, *Zábragi.* II. Transylvanienſis, Albæ Juliæ, *Gyula feiervari,* III. Varadienſis, *Varadi,* IV. Chanadienſis, *Czanádi.* V. Bosznenſis aliàs Diacoienſis, *Bóznai.* VI. Sirmienſis, *Szeremi.* 38. His addunt quidam *Cibinenſem* sive *Hermanstadienſem* Episcopatum in Transylvania: Et Mercator *Suinienſem* Svidnicenſem puto in Silesia. 39. *Sunt & multæ Abbatiæ & ea præsertim quæ Divo Martino ex Pannonia oriundo dedicata est,* Galeotus. 40. *Archiabbatia appellatur ab Hungaris: cum ejus Abbas dignitate universis, qui sunt in Hungaria Abbatibus antecellat: nec ulli subsit nisi Romano Pontifici,* Ransanus. 41. Sunt & multæ *Proposituræ regnis non dissimiles,* Galeotus. 42. Ex quarum præcipua *Præpositus Albæ Regalensis in Vngaria Episcopis comparatur.* D. Beatus Widman apud Goldastum num. 33. von der Succession vnnd Erbfolge des Königlichen Geschlechts vnnd Stams in den Königreich Hungern / mit dem Hauß Oesterreich auffgerichtet. ꝛc. 43. Ex his plurimos *conjugatos Presbyteros ante CCCC. annos in Pannonia,* ritu Græcorum & modernorum Prædicatorum Evangelii, *Decreta S. Ladislai & Colomani* Regum Hungariæ, expresse referunt. 44. Nec prætereunda hoc loco *Consignatio Annatarum à Præcipuis Vngariæ Præsulibus Romano Pontifici quotannis tributarum. Ex immenso Catalogo Annatarum & taxationum Ecclesiarum & Monasteriorum per universum orbem fol. 82. Agrienſis* flor. 800. *Boznenſis* flor. 200. *Colocenſis Arch.* flor. 2000. *Czanadienſis* flor. 800 *Martini Sacr. Mont Pann.* flor. 250. *Nitrienſis,* flor 2000. *Quinqueecclesienſis,* flor 3300. *Sekszardienſis Salvat,* flor. 266. *Strigonienſis* flor. 2000. *Vacienſis* flor. 500. *Varadienſis* flor. 2000. *Veszprinenſis* flor. 800. *Zagrabienſis* flor. 400. *Nomina reliquorum locorum ita depravatè sunt impressa ut vix conjecturis assequi possis: ideòq; plura adscribere piget.* Hæc sunt ex Alberto Molnaro. 45. Petrus Bertius Rerum Germanicarum de *Proventibus Ecclesiasticis Germaniæ, qui anno Christi M. D. XXII. in conventu Noribergenſi æstimati libelloq; singulari comprehenſi, atq; in lucem editi sunt,* idem de quibusdam Episcopis Hungariæ refert. 46. Has ut Summus Pontifex remitteret Episcopis, Ordines & Status Regni Hungariæ supplicabant Regiæ Majestati Ferdinando I. art. 14. Poson. anno. M. D. L. ut oratore misso efficeret apud illum gratuitam confirmationem Episcoporum, & Bullæ redemptionem. 47. *Evangelico-Catholici* Religionis amantes *Sensu*

& *Cultu in Deum certis Legibus ceremoniisq;* Doctores sunt: *Superiores Superintendentes, Vice superintendentes & Concionatores* Evangelii. 48. Quod exercitium Religionis liberum impetrarunt *Pacificatione Viennensi* art. 1. anno M. DC. VI. Salvamque & inviolatam habent hanc libertatem Confirmatione art. 1. Poson. M. DC. VIII. & Renovatione art. ult. Poson. M. DC. XXII. art. 2. Conditione Sexta, Sopron. M. DC. XXII. Noviter denique art. 22. Sopron. M. DC. XXV.

49. Sic in *Rebus Divinis* ordiar: *Res Humanæ* ad illarum adumbrationem nunc me vocant. 50. Ratione regiminis divido Populum in *Caput & Membra.* 51. *Caput* est *Rex.* Circa Regem observanda veniunt Causa *Efficiens & Dirigens.* Efficiens est *Prima & Orta.* 52. *Prima* Ritualis & solemnis *Coronatio* est legitima & vera *Corona* S. Stephani. 53. Nam *Corona illa,* &c. (de qua dixi disq. 295 319 320. Caus. Eff.) *est quiddam apud Hungaros imprimis religiosum atq; venerabile: estq; apud gentem eam, pertinaci quadam cura perdiu servata consuetudo, ut nemo vel creetur vel appelletur Rex, qui non eo coronetur diademate,* Ransanus. 54. *Tanta inest ignorantiæ vitio humanis mentibus superstitionis rei ad impellendos vulgi animos efficacissimæ auctoritas; quum certum sit Regna, non insignibus imperii sed populi consensu confirmari. Verum ne Hungaros omnino stultitiæ accusem hac maxima causa, ut quidam affirmant apud eos hæc superstitionis vanitas inolevit, eo quod illud Diadema Divus Stephanus, qui primus Christiano ritu Rex Vngarorum est appellatus à summo Pontifice ob susceptam religionem dono accepisse dicitur, consuetudoq; obtinuit, cum propter viri sanctitatem, tum Romani Pontificis admirationem, quem sanè id temporis paupertas, ac continentia, uti & cæteros ferè sacerdotes maximè commendabant illo duntaxat Reges insigniri atq; eo insignitos diademate veros divi Stephani Successores arbitrari. Alii credunt eos qui gentis mores condiderunt, cognito Scythicæ nationis ingenio, quod sane plerumq; sævum, impotens ac mutabile est, quo scilicet Hungari Regem suum majori colerent veneratione, ab insignibus quoq; imperii Regi majestatem quæsisse putantes afficta Regio diademate religione Regem ipsum fore multo augustiorem. Quem quidem morem Græcis quoq; genti quondam eruditissimæ omniumq; fere artium, queis animi corporaq; hominum excoluntur inventoribus, fuisse Homerus testis est: qui Agamemnonem sceptro à Vulcano fabrefacto insignem reddit,* Tubero. 55. Huc adde adjectam Epistolam Jessenii & Eliæ Bergeri in fine Cõmentarii S. Coronæ Comitis Petris de Revva, qui & ibidem decenti stylo Coronam condigne descripsit hoc modo: 56. *Est itaq;* FORMA SACRÆ CORONÆ *auro solido, artificio sculpturæ magis cælesti, quam humano, in orbem fusa, à cujus latiore circumferentia pariter* pinnæ florentes forma triangulari *similiori circumeminẽt, quatuor angelis rectis, absides se mutuo intersecantes, desinunt in* Crucem, *in ipsa vero circumferentia fronte recta,* imago Salvatoris nostri Pomum *tenentis, ex adverso* Divinæ Matris Virginis, *& deinde sacerrimus* Apostolorum ordo, Regumque ac Imperatorum Martyrumque Christianorum, *ut videre licet,* literis Græcis, *cujuslibet imaginis aureis vultibus, ac propriis trophæis per corpus totum, usq; ad* Crucem *summam mutuo consequuntur, interjectis cuilibet,* sacræ imagini *gemmis ac unionibus, atq; ut hæc non planè ex vulgari habitu ac more; sic istud planè notabile. Ab aurium naturali parte utraque gemmæ preciosiores candicantes dependent in aures* appendicum *velut* loco, *quæ ad levem sacri capitis motum, mutua quasi harmonia se commovent, ut aurem utramq;* divinæ *humanæq; consecrando* justitiæ, *omnia ad* divini nominis gloriam famamque bonam, & existimationem *referat: aut etiam* catenulæ illæ novem, novemque *in* frontali, & occipitali Coronæ *parte* pinnæ radiantes *majusculis unionibus intra certa spacia. Regnorum novem, ac Provinciarum Regno Hungariæ incorporatarum,* Dalmatiæ, *utpote* Croaciæ, Sclavoniæ, Serviæ, Bosnæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Bulgariæ, Cumaniæ *potestatem & splendorem indicant &c.* plura ibidem legi possunt. 57. Regis Hungariæ *Coronatio* hodie est *Ordinaria,* vel *Extraordinaria.* 58. *Ordinaria* duplici de causa. I. *Vacante Regno* per mortem Regis. II. *Resignatione, Delatione aut Cessione* Regis, senectute, morbo, vel aliam ob causam. 59. *Extraordinaria* rursus dupliciter fit. I. Quando extra ordinem *Vivente* adhuc & *consentiente* Rege, ex familia ejus Corona dignissimus, in futurum Regni successorem *Coronatur,* ad avertenda interregni pericula. II. Fiebat olim *Exauctoritate,* qua Rex Regni Diademate privabatur, & alia persona apta coronabatur. 60. Causam Efficientem *Ortam* percurram in *Regalibus* quæ vel sunt *Majora* vel *Minora.* 61. In *Majoribus* olim quilibet Hunno-Ungarorum Rex *solus arbiter rerum jure & nomine regio fuerat,* (Tacitus.) 62. De Attila Priscus: *Attilas egressus habitatione, gravis vultu, omnium oculis, quaqua versus, in se conversis, incedens cum Onesegio, sedit pro ædibus. Hic eum multi quibus erant lites, adierunt, & ejus judicium exceperunt. Deinde domum repetiit, &c.*

63. De Christianis Regibus Hungarorum Otto Phrisingensis: *Nullæ sententia à Principe, sicut apud nos moris est, per pares suos exposcitur. Nullæ accusatio excusandi licentia datur, sed sola Principis Voluntas apud omnes, pro ratione habetur.* 64. Sane hodiè *omnis potestas constitutionis & condendæ legis quæ olim apud populum fuerat, in præsentiarum ad principem nostrum spectat.* Prolog. cap. 6. & clarius toto titulo 3. part. 2. 65. Ad *Regalia Majora* pertinet & Jus instituendi *Cursus* publicos, quos Postas vocamus. 66. Decret. 5. Ladis. 3. cap. 28. *Nemo cursorum audeat du-*

cere equum ultra tertiam villam, vel accipere ad Ecclesiam euntium, sive ad curiam, ac curribus eorum. Accipiat autem qualescunq; invenerit equos, ut Regis Legatio citius expediatur. Si quis autem cursorem Verberaverit, quinquaginta quinq; pensis, si lora retinuerit ejus, decem pensis, puniatur, 67. Idem fere de Cursoribus Moscoviæ Baro ab Herberstein in Commēt. Moscovit. 68. Et mirandum non est quod in fine ferè dicti Commentarii Hungarorum Dispositorum equorum celeritatem celebret, cum Orator ad Regem Ludovicum II. missus esset: *Viennæ,* inquit, *continuo Pannonium currum conscendi, quo trijugis equabus, curru Volitante celerrimè ferebar, paucisq; horis Budam triginta duobus miliar. perveni. Tanta autem celeritatis causa est, tam commoda per justa intervalla respiratio equorum, & permutatio. Quarum prima utuntur in Prukh, oppidulo ad Leytham fluvium, qui Austriam ab Hungaria dividit, distatq; à vienna 6. mil. Secunda in Ovvar castro, cum oppidulo, Ger.* Altenburg *5. mil. Tertia in Iaurino oppido, sedeq; Episcopali. Hunc locum Hungari Iure. Germani verò ab Raba fluvio, qui oppidū alluit, danubiumq; ingreditur,* Rab *appellant. Hoc quidem in loco qui ab Ovvar. 5. miliaribus, in pago Cotzi, à quo & Vectores currus nomen acceperunt: Cotzi adhuc promiscuè appellantur. Vltima in Vuark pago, quinq; à Cotzi miliaribus: quo loco equorum soleas, num qui clavi vacillent aut desint, inspiciunt, currus loraq; sarciunt: quibus omnibus refectis, Budam, sedem Regalem 5. inde mil. invehuntur.* 69. De cæteris Regalibus tum *Majoribus* quam *Minoribus* quæ ad augendum fiscum Regis pertinent proximè speciatim. 70. Sciendum tamen Reditum ex annuis *Tributis & Vectigalibus Hungariæ sexies centenis millibus æstimari,* Philip. Honorius.

71. Hoc modo dividetur *Causa Efficiens: Dirigens* sive norma regiminis sequitur vel *Principalis* vel *Minus Principalis.* 72. *Principalis* est *Ius,* cujus consideratur tum *Divisio,* tum *Functio.* 73. *Dividitur Ius in Legem Scriptam & non Scriptam.* 74. *Omne enim jus legibus & moribus, hoc est jure scripto & non scripto constat.* Prolog. cap. 2. 75. *Lex Scripta* est *Divina & Humana.* 76. *Divina* Deum autorem habet. 77. Humana est in Jure *Naturali, Gentium & Civili.* Prolog. cap. 2. 78. *Ius itaq; naturale dupliciter potest considerari, uno modo &c.* Prolog. cap. dicto. 79. *Ius Gentium duplex est, scilicet Primævum & Secundarium,* Prolog. d. l. Differentiam horum, vide cap. 3. Prolog. 80. *Civile* est de *Regno* vel *Ineundo* vel *Regendo.* 81. Illud dicitur *Lex Fundamentalis,* qualis est *Aurea Bulla* sive Decretum Andreæ II. Regis, (de quo num. 186. & seq. in Materia) Itemque reliquorum Regum *Constitutiones,* quæ concernunt *Libertates Regni.* 82. Jus Civile de *Regendo* Imperio est *Generale* vel *Speciale.* 83. *Primo generaliter, est quod in unaquaq; civitate generaliter observatur.* Prolog. cap. 2. *& est illud, quod in libris juris Civilis habetur.* Prolog. cap. 8. 84. *Secundo specialiter, & est quod quisq; populus, vel quæque civitas sibi proprium, divina Humanaq; causa constituit* Prolog. cap. 2. *quod etiam jus Municipale, vel Statutarium dicitur.* Prolog. cap. 8. 85. Statutarii hujus Juris Leges *vel Generali nomine Constitutiones ipsæ, Sæpenumero Regni Decreta vocitantur.* part. 2. tit. 3 Prolog. cap. 2. 86. *Tripartitum* autem *Opus Iuris Consuetudinarii Inclyti Regni Vngariæ &c. Est jus speciale, quod ad singulorum hominum utilitatem pertinet.* Prolog. cap. 2. 87. *Ius non Scriptum* Exceptis Constitutionibus in *Consuetudine* erat usque ad Uladislaum II. Regem Hungariæ, de quo in Proœmio dictum.

88. Fuit *divisio* Juris: sequitur ejus *Functio* quæ est *Primaria* vel *Secūdaria.* 89. *Primaria* est *Sanctio & Executio.* 90. Sāctio est *Prima* vel *Orta.* 91. *Prima* ex Jure *Communi* vel *Proprio* originē habet. 92. *Communia* principia vel *Divina* vel *Humana.* 93. Indubie *leges humanæ manare debent è lege Divina.* Prolog. cap. 6. *omniumq; legū inanis est censura, nisi divinæ legis imaginem gerat.* Ibidem. 94. *Humana* principia, *jura Regni hujus originaliter ex Pontificii, Cæsareiq; fontibus progressum habent.* part. 2. tit 6. 95. *Pulchrè Daniel Cromer. inter Respons. Nicol. Reusner. Vol. 3 cons. 24. n. 34. ubi de Regno Vngariæ loquitur, cujus jura ex fonte legum civilium emanata esse probat. n. 37. ibid. Sine ullo subjectionis & exactionis jure Ascan. Clementin. de Pat. potest. cap. 2. n. 5. Ar. Pinell. ad Rubr. C. de Bon Matern. part 2. n. 12. Latè Vasq. Illustr. Controvers. 22. Bodin. lib. 1. de Repub cap. 8. & lib. 3. cæp. 3.* Amplissimus & Consultissimus Dn. D. Joachimus Cluten. Diatrib. 2. de Juris Canonic. autoritate. 96. *Propria Iuris Consuetudinarii* principia sunt *Generalia & Specialia.* 97. *Generalia Antiqua & Hodierna.* 98. *Antiqua* maximè militiæ accommodatæ erant, vestigium cernimus part. 2. In tit. 72. & 73. Adde de Jure Militari Prolog. cap. 4. 99. *Hodierna* principia generaliter per Decreta examinata: *Primò quidem, magis Institutiones quasdam initiales Religionis Christianæ, Stephanus, Ladislaus, & Colomanus. Tum demum leges Civiles Andreas II. Sigismundus, Ludovicus I. & II. Matthias I. & II. nec non Wladislaus, Ferdinandus, Maximilianus, & Rudolphus suis quisq; temporibus, & subditorum moribus accommodavit;* Kitonich. 100. Specialia Juris Municipalis principia *ex tribus fundamentis constant. I. ex Constitutionibus & Decretis publicis. II. autem ex Principum Privilegiis. III. verò ex judicum ordinariorum Regni sententiis.* part. 2. tit. 6. 101. *Orta* est Obligatio *legitimorum præceptorum, quæ nos arctant ad observandum bonum & æquum, hoc est utilitatem & æquitatem sive veritatē & Iustitiam*

designantem, Prolog.cap.2. 102. In *Divinis* de quavis fermè *Publica* persona, *placeat ille versus, sed saniter intellectus:*

Religentem oportet esse, religiosum nefas.

Apud Agel.lib.4.cap.9. Justus Lipsius Polit.ibidemque in Notis & Monitis. 103. Nam quod part.2. tit. *6. Gloriosus ille Rex & Apostolus noster Beatus* STEPHANUS, &c. *præclaras edidit Constitutiones, fidei tamen magis rudimenta, quam litium fomenta præ se ferentes & declarantes.* 104. Quin hoc publicè & privatim habendum cum modo Prolog.cap. 14. *Nec debet esse judex nimis crudelis, nec pius nimis, sed æquus in judicando.* 105. Ratio ibidem subest: *Vbi namque justitia suum modum excedit, crudelitas vitium gignit, & nimia crudelitas dissolutionem disciplinæ parturit.* 106. De Judicibus ex Prolog. cap. ult. *His duo adjungam, unum quod sit supremus Iudex, ut Papa & Imperator, vel alius qui non adstringitur legibus. &c. Secundum est, judex qui sedet pro tribunali &c.* 107. Discrimen aliud habet S. Stephanus, aureumque dictum filio imprimit. Decret.1. cap.5. *Time esse judex, gaude verò Rex esse & nominari Reges patientes regnant, impatientes verò tyrannizant.* 108. Idque in utraque virtute, Pietate & Misericordia censet ibidem & cap. 10. *Modus virtutum ornat Coronam Regum &c.* 109. *Naturalis Lex* quæ *obligat* est vel *Superior* vel *Inferior.* 110. *Superior* moderatur inferiorem: Veluti *quod in lege Mosayca, & Evangelio continetur, quo quis jubetur alteri facere, quod sibi vult fieri: & prohibetur alteri inferre, quod sibi fieri nolit. &c.* Prolog.cap.2. 111. Et in tit. 21. & 22. part. 3. de *Defensione inculptæ tutelæ*, qualiter fieri intelligitur. 112. *Inferior* famulatur superiori: Hujus generis est *obedientia patri & patriæ*, S. Steph. 1. cap 8. 113. *Maris & fœminæ conjunctio, liberorum procreatio, & educatio*, Prolog.cap.2.& cap.9. 114. In *Civilibus* de Constitutionibus & Decretis & Statutis: *sciendum quod* ad Scientiam *primò ligant ipsum Principem, qui eas populo postulante edidit. Iuxta illud. Patere legem, quam tuleris ipse.* part.2 tit.5. 115. *Deindè* ad obedientiã & Pœnã *ligãt omnes Iurisdictioni Principis subjectos, Et non solum illos, sed etiam quoscunq; forenses in hoc regno degentes.* Ibidem. 116. *Executio* juris consistit in *Responsis Prudentum* sive *Iudicum*, Prolog.cap 15.& 16. 117. *Interpretatione Legum* Prolog. cap. 6. 118. Et *Exercitio* legum prudenti applicatione: *In qua certè peccavit Matthias Corvinus Rex Pannoniarum, qui Iurisconsultos & Causidicos ab Italia magna mercede accersivit, ut litigandi leges ac legis actiones populum ignarum docerent. paulò post enim tot ac tantis litium ambagibus circumventi sunt ut populi rogatione Causidicos suis finibus arcere cogeretur*, Bodinus. 119. Explicatius de hoc litigandi modo, quem Mat-

Matthias I. prius introduxit, Præclarissimus & Excellentiss Dn. Præses in Taciti Agricolam *Id quod adscripto verbis* illius *quin illustrem, facere non possum. Sic autem ille ex Ludovico Vivo de Causis corruptar. art. lib. 7. in fine: In Pannoniâ vivebant olim sine juris interpretibus, non tamen sine jure. Nam simpliciter & bonâ fide, ex antiquis moribus, & paucis quibusdam legibus, Pannoniis illis, non Romanis, res judicabant: imò dissensiones suorũ civiũ facile componebant: & quẽadmodũ de Servio Sulpitio dicit Cicero, tollere controversias malebant quàm constituere. In comitatu Beatricis, Ferdinandi Regis Neapolitani filiæ, quæ illinc fuit missa nuptum Matthiæ Corvino Regi, venerunt Iureconsulti aliquot, qui barbarum (ut ipsi dicebant) morem, magna vultus & superciliorum fastidio aspernati, auctoritate suâ facilè perfecerunt, ut homines rudes ac simplices illorum se sapientiæ concrederent. Cæperunt illi formulas præscribere, quibus esset perendum, quibus respondendum atque excipiendum: dies legitimos notare: judici quoque aliquid assignare quod diceret, ne muta esset persona. Brevi tempore, ubi nullæ priùs erant lites, omnia vidisses fervere litibus, controversiis, repetitionibus, exceptionibus, comperendinationibus, procrastinationibus. Erat prorsus fabula, nisi quod damnosissima, cætera festiva cumprimis, & ad movendum risum apta, hominibus utique otiosis, & quibus nihil esset controversiæ. Quod malum tantum & tam subitum, quodq; latè invasisset plurimos, quum animadvertissent homines prudentiores, ad regem res est delata, qui re percognitâ, Iureconsultos illos continuò regni finibus jussit excedere, & omnia in pristinum morem revocari. Sedata est statim tempestas illa, tanquam si venti posuissent*, hæc ille. 120. *Secundaria* functio est *Consentanea & Dissentanea.* 121. *Consentanea* est *Confirmatio*: Hinc *omnia specialiter Principis, & non populi statuta nuncupantur, eo quòd nisi utroque modo Principis accederet consensus, & confirmatio, nullius censeretur firmitatis ipsa Constitutio.* Part.2.tit.3. 122. *Dissentanea* est *Legis mutatio, Totalis & Partialis.* 123. *Quæritur utrum statutum valeat contra jus vel Divinum vel Naturale?* Et concludam ex Prolog.cap.9. *Quod per statutum ac legem, vel rescriptum, non potest jus Naturale, vel Divinum in suo universo tolli. Nec enim summus Pontifex: vel alius quispiam, posset statuere, ut non observaretur Vetus vel Novum Testamentum: vel quod liberi non educarentur à parentibus, sed in aliquibus casibus, particularibus potest fieri ex justa causa, contra jus Divinum, vel Naturale, ut prædo possit occidi, vel fur nocturnus.* 124. *Totalis* fit per *Obrogationem & Abrogationem.* 125. *Obrogatio est quando legi latæ contraria fertur*, Daniel Otto. 126. Sic *Bela IV. contra regni Consuetudinẽ* (de qua num.61.& seq.) *ordinavit quod, qualiscunq; eminentiæ fuerint Nobiles, in ejus Curia negotium movere, aut ei oretenus loqui nequiverint*

verint: niſi Supplicationes Cancellariis porrigerent, & exindè finem negocij expectarent, Rogerius. Thvvroczius & ex illo Gaſpar Ens de Bela III. hoc ſcribunt. 127. *Abrogatio quando lex prorſus tollitur.* Daniel Otto. 128. Ita ex antiquis Iudiciis: *Quædam enim Conſtitutiones ſunt ex toto per poſteriores abrogatæ, ſimpliciter revocatæ* part. 2. tit. 2. 129. Sicuti hæc quatuor I. *Iudicium Palatinale ſive Generale.* 6. Matth. art. 1. & I. Vlad. art. 35. II. *Proclamata Congregatio.* 6. Matth art. 2 & Vlad. artic. 36. *Olim Iudicium in Zalarigidum in paucis diœceſibus,* Sambucus.

130. III. *Iudicium Duelli.* 6. Matth. art. 18. & Vlad. art. 37. & 2. q. 5. cap. 22. Kitonich. 131 *Duellum* hoc *ſiquidem* juxta tenorem Articulorũ *tunc ſolummodo fieri deberet, & ad hoc ordinatum extitit, quando omnis probatio deficeret* &c. 132. Ibidem: *Illud judicii genus, extra hoc regnum, in mundo inauditum.* 133. Bodinus tamen in Politicis: *Ruteni verò & Hungari non aliter quam ſi de cauſa judicanda non liqueret.* 134. Et in Methodo ex Boemo & Munſtero: *Quid eſt autem iniquius aut magis barbarum quam quod Clageni fieri ſolet, ſi quis furti ſuſpectus ſit necatur, deinde quæſtio habetur? hunc morem Hunnis & Gothis acceptum ferunt. Ab illis etiam Duelli leges profectæ.* 135. Monomachiæ congreſſum deſcripſit Sabellicus: *Si cauſa anceps ſit, nec aliter liquere poſſit, his ferro decernitur, reus & actor dimicant, Rex aut qui Regis vicem gerit, pugnam ſpectat, judicatq; ſecundum eum qui ſuperior fuerit, ſatis viciſſe credunt, cujus adverſarius aut pugnam cunctantius inibit, aut lineis areæ quibus pugnæ locus circumſcribitur, exciderit qui ex equo dimicant lancea prius, dein gladio utuntur, pedites præter verenda cæteri nudi pugnant.* 136. IV. *Trinæ forenſis Proclamatio.* 6. Matth. art. 17. & Vlad. art. 7. *Rigida citatio per mundinas ter facta,* Sambucus. 137. His ſubjungo *Iudicium Regale,* de quo Bonfinius: *Zagrabiæ Regale judicium proceres poſtularunt: quod breve quidem, & formidoloſum eſt. Quicunque hoc tribunal accedunt, haſtam ſubire coguntur: perorata utrinq; cauſa, in cujus caput haſta dimittitur, is capitis reus habetur, præſentaneoq; ſupplicio mulctatur. Id propterea factum, quia ex optimatibus & nobilitate multi homicidij, latrocinij, & rapinarum pleriq;, nonnulli peculatus, repetundarum alii poſtulati.* 138. Quod Judicium num abrogatum cum prædictis quatuor ſit, **num** verò aliud particulare, & fortè quod vocatur die Kö-niglíche Taffel / cujus actus immemorialis eſt in Hungaria? caligo, & periti lectoris arbitrio relinquo. 139. Huc ſpectant *Decreta Regum. Ius Thavernicale,* cum primo illo *Antiquo Legum Codice,* quæ *infeliciſſimo, ac nunquam ſatis deplorato, amiſſæ Budæ Regni Hungariæ Metropolis, primæq; Iudicii noſtri* (Juris Thavernicalis) *ſedis, naufragio, una cum omnibus reliquis literarum ac privilegiorum monumentis, miſere perierunt.*

Epiſt.

Epiſt. Dedicat Jur. Thavernic. 140. *Partialis eſt Derogatio, cum primæ legis pars tollitur, & Subrogatio, quando quid primæ legi adjicitur,* Daniel Otto. 141. Ideò in part. 2. tit. 2. *Aliæ verò partim abolitæ, partim approbatæ. Quædam autem ſilentio præteritæ: & quædam introductæ &c.* 142. Exemplo ſint hæc duo: I. *Iuditium Candentis ferri.* II. *Iudicium Ferventis aquæ &c.* 143. *Conſcientiæ ad candens olim ferrum examen, & aquæ in eam injectio, ut innocentia eliqueret,* Sambucus. 144. Quæ quidem *partim abolita partim approbata:* ſiquidem *neq; quidem permittuntur amplius fieri, coram tribus teſtibus, ut antea, lib. 1. S. Ladis. cap. 28.* Kitonich. 145. *Niſi in ſede Epiſcopi & majoribus Præpoſituris, ut Poſonii, & Nitriæ,* Colom. lib 1. cap 22. 146. *Silentio autem præterita;* quia nullibi expreſſe *ſublata ſunt, neque tamen uſitata jam habentur,* Kitonich. 147. Certa Judiciaria exempla Hungarica ſuppeditat liber: *Ritus explorandæ Veritatis &c.* de quo in Proœmio dictum. 148 Aliena; Eximii ac Clariſſ. Dn D. Beſold. Tractatus anno 1620. edit. *De probatione quæ fieri olim ſolebat per ignem & aquam; cum ferventem, tum frigidam.* Itemque Camerarius Cent. 2. cap. 18. 149. Per *Subrogationem* verò *Proceſſus iſte Iudiciarius, & uſus Proceſſuum, quem in Cauſis inchoandis, proſequendis, diſcutiendis, & terminandis obſervamus, regnante ipſo domino* CAROLO *Rege &c. per eundem ex Galliarum finibus in hoc Regnum inductus fuiſſe perhibetur.* part. 2. tit. 2. 150. *Circa annum Domini* M. CCC IX. Kitonich. 151. Quo *Rex ſyncerioris Religionis Chriſtianæ cultor, hujusmodi Gentilitiæ ſuperſtitionis obſervationem eliminare volens;* Idem. 152. Qui PROCESSUS JUDICIARIUS, *quem in eadem 2. part. tit. 6 dicit ex Gallis inductum eſſe; intelligitur ſolum de Iuridicis terminis, per quos, tanquam certos quosdam gradus, usq; ad deciſionem litis proceditur, ut ſunt: Legitima Citatio ſolita, Parium petitio, Exceptiones de Iure admittendæ. Et Iuridica remedia, veluti; Inhibitio, Repulſio, Appellatio, Novum Iudicium; & cætera his ſimilia, &c.* Idem Kitonich. 153. Ad *Legis mutationem* hanc *partialem* pertinet & *Subrogatio Iuris Thavernicalis,* anno M. DC. IX. de quo Epiſt dedicat. & Privilegium ejuſdem. 154. De cujus *origine* prima, nempe: *quo tempore & quibus authoribus Ius hoc Thavernicale conſcriptum ſancitumq; ſit ſive cæperit, certi nihil habere poſſumus,* Epiſt. dedic. 155. In Functione verò; *Tavernicalia Iudicia dicuntur, de liberarum civitatum controverſiis quæ remitti ſolent ad Perſonalis Præſentiæ examen:* Sambucus & Definit. Artic. Thaver.

156. Sequitur nunc *Dirigens Cauſa Minus Principalis* ſeu adjuvans, ut ſunt: Regis *Adjutores* & *Adminiſtri.* 157. *Adjutores* vel *Gubernant,* vel *Iudicia tractant.* 158. Ad *Gubernandum* olim *Andreas I. Rex & frater ejus Bela habito conſilio diviſerunt regnum in tres perſonas,*

quarum duæ in proprietatem Regiæ Majestatis suæ manserunt; tertia verò pars in proprietatem Ducis est collata, Thvvroczius. 159. *Videlicet in agro Syrmiensi, Præfectura Temesvvarensis & Nador Albensis, cujus etiam erat Transylvania*, Lazius. 160. *Quæ dignitas erat Regi proxima*, Ransanus. 161 *Hæc igitur prima Regni hujus divisio, seminarium fuit discordiæ & guerrarum inter duces & Reges Hungariæ*, Thvvrocius. 162. Propter consanguinitatem & consuetudinem imperii, quibus dominandi illecebris quilibet, quicunque fungi ejusmodi Ducis dignitate consueverat, ad Regni dominatum adspirabat ob id hæc dignitas submota est: sed plura de hac aliâs. 163. Hodiè *Gubernant* igitur: *Iudices Regni Ordinarii* vel *Officiarii*. 164. Regis nomine *Iudices ordinarii sunt, imprimis Palatinus, Deindè Iudex Curiæ, & postmodum Secretarius, Cancellarius si præsens fuerit, sin autem non Locumtenens, hoc est, qui sigillum judiciale Regiæ Majestatis pro tempore tenet*. 6. Matth. art. 68. Ulad. Prim. art. 33. 42. & 70. Sigis. Sext. art. 1. 165. De Palatino hæc Lazius scribit: der *Palatinus* oder Pfaltzgraff ist der nechst im Reich nach dem König/ vor welchen die Hungern vorzeiten wan sich ein König vbel hielt/ macht haben gehabt zu vergleichen/ vnd diese dignitet kombt nicht auff die Kinder/ sondern wird allzeit der *Palatinus* von gemeiner Landschafft vnd Freyer wahl erwelet/ hæc ille. 166. Est *Curator Regni, Coronam præferens, Strigoniensem tamen sequitur*, Sambucus. 167. Hodièque vigore art. 3. Poson. M. DC. VIII. ad eligendum *Regia Majestas, duas ex statu Catholico - Romano & totidem Evangelicæ Confessionis personas, Statibus & Ordinibus nominat ac proponit, ex quibus quemcunque ad gerendum tale officium idoneum fore judicant, invocato numine divino eligunt, &c.* Plura de illo Matthias in Decreto Speciali. 168. Judex Curiæ, *dignitas ensem Regi præferens, & Regia judicans defectusque seminis*, Sambucus. Der Hoffrichter/ *hac autoritate, sicuti in Germanorum Principum Aulis Marschalli*, (die Marschalch/) *sunt*, Lazius. 169. Cancellarius Summus, *Regis personæ præsentia*, Sambucus. 170. Et *Perpetuus, qui est Metropolitanus Strigoniensis, qui & Primas Regni & Summus Secretarius nominatur ac prærogativam habet electum Regem inungendi, & sigillo majori privilegia munit*, Gerard. Mercator ex Lazio. 171. De prærogativa inungendi Regem, relatu dignissima scribit de Basilica Albensi, Thvvroczius: *Inter cætera verò dedit eidem Albensi Ecclesiæ quædam donaria sempiterna, memoriæ digna, duo scilicet rationalia, quorum utrunq; habebat oram contextam septuaginta quatuor marcis auri purissimi, & lapidibus præciosis, quæ Beatus Benedictus S. Romanæ Ecclesiæ Pontifex ad preces S. Stephani Regis tantæ auctoritatis privilegio insignivit, ut quicunq; in celebrando Missam eis uteretur legitime, posset Regem inungere, coronare & gladio accingere.*

172. Personalis Præsentia. *Est Regis Locumtenens, cujus Vicarius Personalis hodie, ut Tavernicus Tavernicalium*, Sambucus. 173. Et *Iudicibus præest*, Lazius. 174. Ad *cujus examen Causæ Thavernicæ ex parte aliqua non contenta, transmittuntur*, part. 3 tit. 10. & 11. 175. Qui *Tavernicus & Thavernicorum Regalium Magister, Camerarius, Camerariorumq; præfectus, est*, Sambucus. 176. *Aurifodinarum, Salinarumq; & breviter earum Civitatum, pagorumq; ac castrorum causas distinguit, quæcunq; ad Cameram Regiam pertinent, sicuti* Oberster Vitztumb *in Styria*, Lazius. 177 Idemq; *Iudex appellationis à sententiis Liberarum Civitatum*, de quo Partiale Jus Thavernicale, Jus Tripart. & Decret. Regum. 178. *Officiarii* qui gubernant in Curia Regis sunt: *Cancellarius aulicus, qui Principis aulam sequebatur*, Sambucus. 179. *Arbitrio Regis assumptus, qui cæteras literas minores, & potissimum mandata Regia, & in Causarum distinctione, datas munit, Decretisq; Regis subscribit*, Mercator ex Lazio. 180. *Magnus Scheneschalcus, Præfectus Palatii*, Sambucus. 181. Aut *Magister Curiæ, quemadmodum apud nos* ein Hoffmeister/ *olim apud Reges Galliarum Major Domus dictus, Regis intimus Consiliarius habetur, & ejusdem Comitatum sequi cogitur*, Lazius. 182. Reliqui qui Judicia tractant, Sunt vel *Majoris* auctoritatis vel *Minoris*. 183. *Majores* sunt Vice gerentes superiorum, Ut: *Vice Palatinus. Vice judex Curiæ*, & cæteri, qui à Germanis dicuntur, deß Pfaltzgraffen vnnd Hoffrichters Statthalter. 184. *Minores qui ministeria magis Iudiciorum quam Magistratuum exercent*, ut Mercator inquit. 185. Sunt. I. *Protonotarius Palatini*. II. *Protonotarii Iudicis Personalis Præsentiæ*. III. *Protonotarii Iudicis Curiæ, qui est* der Obrist schreiber deß Hoffrichters/ Lazius. 186. *Hi omnes nobili Stirpe eliguntur* art. 4. Ulad. min. 187. *Et ab Vngaris passim Magistri appellantur*, Lazius. 188. Nam *Magister, Iudex vel Protonotarius Iuridicus. Magistri, Protonotarij, seu Iudices Causarum, vicarij dignitatum Regni*, sunt, Sambucus. 189. *Ac habent in laboris consortium adjunctos hos sequentes*, Mercator. 190. *Secretarium Archiep. Strigoniensis, qui est Director Causarum Regalium, sicuti apud Germanos* ein Camerprocurator/ Lazius. 191. *Assessores & Notarios aliquot*, hodie numero minores quam olim, quos proximè enumerabo. 192. *Administratores* sunt vel *Sublimiores* vel *Minores*. 193. *Sublimiores* eos dico: *Qui publice aut privatim Principi exhibent in functione aliqua, sui usum*, Lipsius in Polit. 194. *Publice*: ut sunt *Vayda, & Wayvvoda, Prorex in Transylvania, Walachia, & Moldavia &c. inferior Gubernatore*, Sambucus. 195. Sclavis belli Ducem sonat &c. 196. *Quod nomen primum Stephano Bathoreo (opt. mem.) Polonorum Rege invictiss. Principe Transylvaniæ creato desiit*, Maginus. 197. *Banus, Præses in Regnis adjunctis*,

junctis, qui alios vexillo præit, Ban. Sambucus. 198. Videlicet *Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, Banus* Machoniensis, *Zc Wrinienſis & Sirmienſis &c.* 199. *Porrò quia Regnum ampliſſimum eſt, neq; à minoribus judiciis confluere omnes in Curiam poſſunt. nec Curia tot querulantibus ſufficit, conſtituti ſunt per Provincias Iudicia Particularia eorum quibus prima inſtantia cauſæ deciduntur, quos Comitatus* Latine, *Hungari dicunt,* Mercator ex Lazio. 200. Eorum idiomate *Iſpán*; Hinc fortè quod Thvvroczius de tertia parte exercitus Attilæ ſcribit, quæ contra Soldanum ab illo deſtinata, famoſiſſimo prælio in Campis Cathalaunicis intereſſe non potuit: *Et horum quidem Capitaneos ipſorum lingua Hiſpanos vocatos extitiſſe: & exinde & Hiſpaniam nomen accepiſſe tradunt.* 201. Germani à Bannis Sponſchafft / ut Lazius vult: welche die Hungern *Comitatus* vnd *ſedes* vnd wir Teutſchen von den *Banis* den Obriſten der gericht Sponſchafft nennen / &c. 202. *Sunt autem Comitatus, ut hoc quoq; obiter explicem, Regni partes, quas Provincias aut Præfecturas, aut Græca voce, qua plerique Latinorum uſi ſunt Nomarchias dicere poſſis. Plinius & conventus & Iurisdictiones & conventus juridicos in diſtributione Ciliciæ; & Beticæ Hiſpaniæ appellare videtur. Cicero vocat Diœceſes, quod nominis Epiſcopi in appellatione ſuarum jurisdictionum, quamquam nunc vulgo corrupte uſurpant,* Wernherus. 203. *Comitatus autem proprie de Imperatoria aula dicitur. Sed quia tempore Caroli Magni, regnantibus Berengariis, & Othonibus ad ſingulas Civitates regendas aliquis Comes mittebatur, cæpit teritorium, quoniam illi Comes præerat, Comitatus dici. Otto tamen Phriſingenſis Comitatum à comminando Comitatum dici exiſtimat,* Jacobus Spiegelius Scholiis in Ligurinum. 204. *Earum vero partium Præfecti vocantur Hungaris Comites, quibus Iurisdictionis cura incumbit,* Wernherus. 205. *Comites* Hungariæ trium generum ſunt. I. *Comes Perpetuus, cum dignitate natus, qui ſolius Regis judicio nititur.* II. *Comes Liberi, ut Vrſini, Frangipani, Crupani &c.* III. *Comes Parochialis, Proprius regionis cujusq; Præfectus,* Sambucus. 206. *Qui à Rege cum conſilio Prælatorum & Baronum ex illis de eodem Comitatu eligitur,* Matth. ma. art. 60. & paſſim in decret. Regum. 207. *Comitis Parochialis vices tenens eſt Vicecomes,* Sambucus. 208. Qui *eligitur à Comite de eodem Comitatu, ex potioribus Nobilibus* Ulad. ma. art. 80. & Matth. d. l. 209. Et *Iudex Nobilium dicitur,* ibidem & paſſim, ut art. 13. Poſon. M. D. LXXI. 210. Qui *ambo indicare & promulgare Sedes in ſuo Comitatu poſſunt.* art. 11. Poſon. eodem. 211. Et hæ, *Sedes Iudiciariæ* dicuntur Ulad. 2. art. 29. & alibi ſparſim. 212. Germanis Gerichts Stuel/ Lazius. 213. Quæ tempore Ferdinandi I. tenore art. 37. Poſon. M. D. L. *in ſingulis Comitatibus &c. ſingulis quindecim diebus aut ad ſummum ſingulis menſibus &c. celebrabantur.* 214. Sunt autem Ranſano; *Comitatus complurimi, numero LXXIII.* 215. Molnaro; *LXXIV.* 216. Aliis excluſis Tranſylvanenſibus in Hungaria *plures quinquaginta &c. ex quibus vix dimidium hodie obtinemus,* Wernherus. 217. Qui *Conventus à Civitate nomen accepere,* Ranſanus. 218. Ut *Comitatus Poſonienſis; à Civitate Poſonio,* & ſic reliqui &c. 219. Sed & præter Comitatus, in Tranſylvania ſunt *Sedes Siculicæ ſeptem & duæ Filiales. Sedes Saxonicæ ſeptem & duæ Filiales,* Molnar. 220. Inter *Adminiſtratores ſublimiores* computo nunc nominetenus tantum *Præfectos* & *Præſides* Militares. 221. Ut ſunt *Generales partium Regni Superiorum & Inferiorum Capitanei, Locumtenentes, Caſtellani Caſtrorum.* 222. Et olim *Proviſor Budenſis,* Lazius. 223. *Privatim ut ſunt ij ferè, qui ad Aulæ ſaltem uſum atq; ſplendorem adhibentur: quos ſuo proprioq; verbo dicimus Palatinos,* Juſtus Lipſius in Polit. 224. Ungarico verbo *Vduarnicales.* 225. Tales ſunt: *Theſaurarius Regis, Ianitorum Regalium. Dapiferorum Regalium, Pincernarum Regalium, Agazonum Regalium, Cubiculariorum Magiſtri.* 226. *Et cæteri Magiſtri officia tenentes & honores,* ut Stilus Decretorum habet. 227. Quæ omnia diſtinctius tradidiſſem, niſi me confudiſſent Decreta, in quibus Perpetuus ordo & ſeries dignitatum ubique ſtricte non obſervatur, ex quibus ſine præjudicio Sublimiorum & Minorum prænominata officia ordinatè memoriæ cauſa exhibere non dubitavi. Ideoque me à cujuſcunque injuria vindicabunt & excuſatum omnes habebunt. 228. *Minores* ſunt in ſingulis locis Juridicis, ut Primo *in Regiis Liberisq; Civitatibus,* & reliquis *Oppidis & Vicis &c.*

229. Et ſic de *Imperatore & capite,* ordine ſequuntur *Parentes* ſeu membra, quæ ſunt *Status & Ordines* Regni Hungariæ, quos proxime ſpeciatim explicabo. 230. Nunc ad partem alteram, *Formam Militarem* venio, *quæ horridum ſagum ſuum promptè offert. Ego accipio; & ſermonem una veſtemq; mutans,* non ut confidens miles, ſed *homo umbraticus* levi & brevi velitatione

—— calamis, & linguâ pugnaturus.

231. Coadunatur autem *Armata Multitudo* per *Civium & Sociorum Legiones.* 232. *Domeſtici milites* ſive *Cives* ſunt *Hungari,* qui *reverentia nominis, Gentium qui ſub S. Corona & Regibus Hungariæ* vivunt, animoſe *objiciunt ſe mucronibus inſidiantium,* & in prælio acriter & alacriter ſumma & majori *charitate* pro *aris & focis,* pro *conjugibus & liberis,* pro *dulciſſima* deniq; *Patria* dimicant: quam *Externi* qui *non fide, non affectu tenentur,* ſed mercede & pecunia *venalem ſanguinem habent,* Livius.

Venales q; manus

Lucanus. Nec hosti sed *hospitibus tantum metuendi*, Tacitus, *Et in rusticorum gallinaria egregiam pugnam edituri*, Cl. Dn. Forstner. 233. Præ cæteris tamen nationibus fidelissimi *Germani*, sociis suis finitimis & confœderatis pro *fide* & *salute* viriliter & strenue ex more gentis auxiliantur & ad omnes ferè motus Turcicos primi præsto sunt. 234. *Legio* versatur in *Nomine* & *Numero Personarum*. 235. *Nomine* Latino usitato Hungaris dicitur vel *Banderium Regale* vel *Banderium simplex*. 236. *Sub Banderio Regali mille equites armati teneri consueverunt* Ulad. min. art. 21. 237. Hungaris *Egy Zászlo állya*. 238. De *Simplici numero Personarum*. Ulad. ma. art. 20. *ordinatum quod sub unoquoq; Banderio integro, quadringenti, sub medio verò ducenti homines exercituantes* &c. 239. Inter hos sunt *Principes* & *Milites*. 240. *Principes* duplici discrimine *Duces Primarii* & *Secundarii*. 241. *Primarius* post Regem in *Expeditione Generali* est *Palatinus Generalis & Supremus Capitaneus Regni & Regnicolarum, & illos gubernat, juxta tamen voluntatem & arbitrium Regiæ Celsitudinis*, Matt. Decret. Special. art 4. 242. *Secundarii Locumtenentes, Capitanei Castellani, Provisores, Centuriones & Decuriones*. 243. Pro insigni *præter morem aliarum gentium apprime soli Duces Hungarorum delectantur*, Comes Petrus à Revva. *Cambuca, Clava ferrea, aliis Cucuma, Bozogány*, Sambucus. 244. Quod belli instrumentum *magis ad cogendos ordines, quam hostis arma perfringenda accommodatum*, Gaspar Ens opinatur. 245. *Decuriones* ferunt *Sarissam* sive *Hastam Velitarem*. 246. *Milites legitimi* dupliciter fiunt: *Discrimine & dilectu*. 247. *Discrimine* iterum duplices: *Equites* & *Pedites*. 248. *Equis malunt quam pedibus prælium inire*, Barclajus. 249. Ethi sunt vel *armigeri* &c. vel *levis armaturæ, vulgo Huszarones nuncupati*. Ulad. ma. art. 20. 250. Olim illorum *Arma* erant *Iacula* quæ propriè Hunnis attribuunt Ammianus, Sidonius, Jornandes, & alii plures. 251. Hungaris Regino, Liuthprandus & alii. 252. Idem quoq; Hunnis bellandi mos erat *Laqueos jacere*, de quo Ammianus. 253. De Hungaris Christianis Otto Phrisingensis: *Omnes pene tetri, tetris in armis procedunt* &c. 254. *Quæ sunt lancea, sagaris sive gladius Persicus, ad lævam sub dextro femore verutum ephippio alligatum: pleriq; insuper siphunculum tormentarium theca reconditum habent*, Gaspar Ens. 255. Splendidum illorum apparatum & armaturam Stephanus Vinandus in Hercule Prodico in Rudolphi Coronatione Hungarica hoc modo delineavit: *Rex Rudolphus &c. illustrium turmas aliquot instructissimas secum trahens. Attilæ provinciarum domitoris victrices copias repræsentare videbantur armis, atq; vestitu. Equorum nobilium colores, atq; picturæ variæ; gemmis, auroq;*

roq; nitentes phaleræ. Martiorum hominum apparatus Scythicus, feri vultus, capita in verticem usq; rasa; virgatæ tunicæ, thoraces, & loricæ bilices, trilicesve clavis aureis, argenteisq; distinctæ: Ithyræ arcus inaurati, & encaustо picti: nec non omissæ sagittis pharetræ cocco, purpura, pellibusq; peregrinis ac variis tectæ & ornatæ; Lanceæ coloribus varius depictæ: item ex ferro fabricatæ clavæ, malleiq; ponderosi atq; inaurati; spectantium oculos satiare non poterant. Atq; inter cætera generosæ nobilitatis militarisq; virtutis insignia præeminebant expensæ aquilarum alæ ingentes vastis clypeis inhærentes vel auratis galeis impositæ: vetustum decus nobilis apud Hungaros familiæ, & præcipua fortitudinis bellicæ apud posteros insignia. Maxima cum his habentur victoriæ præmia, ac veluti laureæ quædam eximiæ pro singulis occisorum hostium capitibus ex acie relatis singulæ aquilarum pennas accipere atq; eas crebris victoriis multiplicare. Gloriosum plurimas clypeis casidibusve affixas, aut è lanceis, hastilibusve dependentes referre in prælium: pulchrum est easdem per castra, atq; urbes in capite gestare, immo etiam cute perforata temporibus ac fronti propriæ infixas ostendere posse, hæc ille. 256. Pedites vulgò *Haydones, quos & liberos vocant*. qui in confinis Turcicis pacis tempore morari solent art. 23. Ferdinand. I. Poson M. D. L. X I I I. 257. *Nec galea nec lorica utuntur, vestitu parum à rusticis differunt: arma illis sclopus manuarius, aut si is desit, hasta velitaris, sagaris, & à cingulo dependens securis &c.* Gaspar Ens. 258. Armorum nomina Hungarica hæc sunt: Lancea, *Koplya*. Acinaces, *Szablya, Tőr, Kard*. Machæra in mucronem rectum desinens, *Pallos*. in acuminatum, *Hegyestőr*. Sagitta, *Nyil*. Pharetra, *Tegez*, Arcus, *Kézij*. Securis, *Balta*. Sclopus, *Buska*. 259. Uncinus Hamus, *Czakany*; hujus instrumenti hastile ligneum est cuspide ferreo & adunco, fortis temperaturæ. 260. Propria olim Gothorum arma quæ falcata & uncata erant. Sidonio epist. 20. lib. 4. *Lancea uncata*, Aliis, *Hamata, Vncinata tela*; quidam *Runcinum Gothicum, Falcastrum* vocant, videatur Savaro in Sidonii d. l. 261. Cestus, Fustis, *Bot*. 262. *Dilectu* milites sunt *Ordinarii* & *Subsidiari*. 263. *Ordinarii* assidue in Fortalitiis & limitibus sive Metis Regni, contra Turcas & alios hostes Hungariæ oppositi ex munere & arte militant. 264. *Numerum* tempore Matthiæ I. & Uladislai II. complexus est Sambucus sub *Salariatu Regni Vngariæ contra hostes, annuo. &c.* insertus Historiæ Bonfinii. 265. Sed quid hic ad hodiernum? definirivix potest, quia in omni mométo pendet à tempore & magnitudine periculi. 266. Ad Ordinarios pertinet *Legio Nigra* Matthiæ I. de qua Sambucus in appendice ad Ransanum. 267. *Subsidiarii* sunt *Prælati, Barones, Proceres, Nobiles & alii Possessionati*, qui omnes in Generali expeditione, *Banderiis Copiis & Militibus* suis &c. *Regi militant, non serviunt*, S.

Ste-

Steph. I. cap. 4. 268. Ac *cum Rege extra Regnum ire non tenentur, nisi pro pecunia ipsius qui comitatus habent,* Andreæ II. art. 7. 269. Nec ad Castra Rege non existente prius in illis. 270. Hinc tempore Ludovici II. *Ex his quidam intempestive admodum privilegia sua allegarunt, quibus cautum esset ne Barones aliter quam sub vexillis Regis militare cogantur,* Gaspar Ens ex Proderico. 271. Ad quod *Rex in frequenti Senatu, ubi de hoc agebatur, subitò in iram versus, video (inquit) ego unumquemq; capite meo (verba enim Regis sicut fuerant ita ponamus) excusationem & salutem capiti suo quærere. Ego personam & caput meum ideo in hæc pericula adduxi, ut illud pro hujus regni & vestra salute, omni fortunæ discrimini objicerem. Ne quis igitur sit, qui possit excusationem aliquam suæ ignaviæ capite meo prætendere, neve possit aliquid mihi imputari: ibo ego, Deo Opt. Max. bene juvante, cras vobiscū in persona ea, quo alij sine me ire nolunt,* Prodericus. 272. Qui Proceres *Banderia Regalia, Integra & media* instruere tenentur, Ulad. min art. 20 21 22 273. Reliqui *Nobiles à centum colonis decem equites* art. 20. Poson. M. D. LVI. 274 *Sed qui decem colonos non habent ij simul conferunt, ut is numerus compleatur.* art. 6. Tyr. M. D. XLV. 275. Idem de aliis Possessionatis capiendum. 276. *Numero* olim quidem *Attilæ exercitus quingentorum millium esse ferebatur,* Jornandes. 277. Et Christianos Reges *è solo Hungariæ Regno Sexaginta equitum millia in aciem quondam educi potuisse ajunt,* Honorius. 278. Ex Transylvania *juxta communem supputationem ad nonaginta & amplius millia armatorum,* Reychestorff. 279. Hinc Avorum memoria *cum adversus Grittum conjurarent, vindicandamq; armis Emerici Ciebachi Antistitis Varadiensis mortem decernerent. Nunquam ullæ gentes pro salute sua & pro publica dignitate ad propulsandam injuriam, vel intentiore studio, vel graviore impetu, vel majore celeritate ad arma concurrerunt. Paucis enim diebus supra quadraginta millia peditum & equitum coivere* &c. Paulus Jovius. 280. Quid? Solum *Siculorum numerum supra sexaginta millia esse ferunt. Iussi verò in bello exire nisi pareant, capitali pœna plectuntur, bona fisco applicantur.* Æneas Silvius. 281. Idem quoque *Wayvoda Moldaviæ &c. generali habito dilectu, ad sexaginta millia equitum & peditum exercituum conscribere,* potuit, Reychersdorff. 282. Hodie quot colligi possunt, Civilia bella docuerunt. 283. Et hæc de *Armata multitudine.* 284. Continebatur autem olim in robore & Virtute *disciplina Militaris,* quæ est vel *Communis* vel *Particularis.* 285. De communi scientia sive disciplina, *Matthias ille Hunniades* Rex *Pannoniæ, quo nemo à multis seculis melior, prudentior, militia clarior aut felicior, & addam veterum rerum (inter Principes quidem) doctior fuit, palam ita sententiam tulit. In corona illustrium hominum coram ipso sermo erat de præstantia nostri ævi, & artibus ac machinis bellicis, plerisq; omnes veteri anteferebant. Ille autem renidenti ore, Si centesimam partem antiquæ militiæ ætas nostra teneret, & disciplinam haberemus illi parem; profecto Turcarum istud regnum non fuisset tam longè latèq; diffusum. Nec tamen antiquitatem nuncupo, quæ quingentis aut sexcentis annis continetur: sed Romanorum illud ævum aspicio, quod cum aliis belli artibus, tum & machinis & tormentis præclare fuit instructum.* Just. Lipsius epist. 21. ad Belgas ex Galleoti Martii cap. 10. de Dict. Fact. Matt. sed leviter immutato stilo. 286. *Particularis* est in *Exercitio* & *Coercitione.* 287. *Exercitium* versatur in *Usu* & *Ordine.* 288. *Usus* in *Armis* & *Moribus Castrensibus.* 289. *Usu* armorum *Hungari quidem soli fere hac tempestate cum Turcis pugnare noverunt: eo quod insito quodam odio quotidianis prope prœliis cum his contendunt, maximoq; ob id ipsum illis terrori sunt,* Tubero. 290. Proindè quod Phil. Callimachus in orat. ad. Innocentium VIII. Pontif. de armis Turcorum dicit, idem de Hungarorum *nec pervulgata quæq;, ac nota recensebo.* 291. *Ante omnia enim cum feriendi duplex sit ratio, quippe quod vulnus aut punctim impingitur, aut cæsim infertur;* Callimachus. 292. *Punctim, Eminus & Cominus.* 293. *Eminus, Arcu & Sclopis.* 294. *In arcu quamdiu ab seipsis non degeneraverant, nonnihil momenti fuit. A principio enim non decoris, & non habilitatis, sed terrendi, ac sauciandi hostis ratio in omni armorum genere habebatur, atque ideò sagittæ graves & prælongæ, Arcus vero amplitudine & robore tali fiebant, ut aspectu terrerent contuentes, & facile telorum pondus ac proceritatem ferrent,* Callimachus: repræsentat hæc, *Icon Hunni* Antiqui. 295. *Nunc verò per ambitionem decoris, omnia commutata, atq; adeo velut in mollitiem corrupta, ut non fortium virorum, ac militum tela, sed puerorum ludicra videantur,* Callimachus. 296. Effectus antiqui & hodierni defectus Causam lege in Jo. Barclai Icone Animorum cap. 9. 297. Usque adeò scilicet, eheu! Sagittarum usus neglectus hodiè

Multis pro vili, sub pedibusq; jacet

qui olim proprius Hunnorum & formidabilis orbi fuerat, ut alias fusius explicaturus sum. 298. Sclopetorum hanc formam in fictitiis militibus commendat Thomas Campanella de Reipublicæ Idea: *Equites* &c. *duas ex ephipiis pendentes pistolas, validæ temperaturæ, angustas in orificio magis; qua de re penetrant omnem ferream armaturam.* 299. *Cominus; Lancea, Veruto, Uncino,* pugnant. 300. *Lanceis* sive *hastis non eodem ordine & in Hungaria, & Italia concurritur. Ibi enim non nisi cuspidatis conditis: hîc verò sæpe inermi hasta pugnatur. Sed in Italia concitato & currente; in Hungaria verò succussando, & non plenè currente equo certatur,* Galeotus Martius. 301. *Veruto* mucrone acuminato, in persequen-

do hoſte utuntur. 302. Uncino quocunque libet, maximè autem contra gravis armaturæ equites, quo perforant loricam & thoracem ſquamatum, equitemque detrahunt & de equo dejiciunt. 303. *Cæſim, Secant* vel *Batuant* adverſarios. 304. *Acinaces, Parazonia & Secures, ſecandi* facultatem præbent. 305. Acinaces enim *ne punctim feriant, ſupini recurvi ſunt, & mucro in dorſum ſuum retroactus, cæſim vero ſi dimittantur, propter quod non velut in gladiis aliarum gentium, latitudo ferri à manubrio paulatim detenuatur in acumen, ſed contra, qua tenentur propemodum acuti ſunt, qua vero feriunt latiſſimi, & carent capuli libramento, elevari ſurſum, & ad geminandum ictum recolligi non poſſunt. Atq; ideo, quod fieri arte quadam nonnulli putant, Turci, quandoquidem gladius in dorſum falcatus, & in mucronem actus, ac præponderans, neq; infigi cominus, neq; referri ſurſum queat, ſi absq; vulnere in vanum deciderit, neceſſario coguntur, inſolito more rejecto brachio in adverſum cæſim ferire. In quo genere ictus, quia contra ac nituntur nervi, intentatur, nullus omnino gravis impetus eſſe poteſt.* 306. Hæc Callimachus de Turcis, contra quos peritè & ſtrenue dirigere ſciunt Hungari ſua *Sablya, Pallos & Balta.* 307. Et ſi his prædictis armis *nequeat ferrea armatura hoſtilis perforari*; Strenuiſſimi Hungarorum *agrediuntur hoſtem Clava, ſicut Achilles Cygnum: & conquatiunt, dejiciuntq;* batuando. 308. Ac ſic in hunc uſum cedit *Bozogany* ſupra n. 243. & ſeq. 309. *Ceſtus* ſive *Fuſtis* comes eſt Ruſticorũ, ut quibus arma interdicta ſunt in Decretis & Conſtitutionibus Regni. 310. Sed nimis multa de armorum uſu, quibus hoſtem ſoleant convulnerare Hungari, quibus ſe muniant autem à vulneribus alio tempore. 311. Nunc de moribus Bonfinius loquitur: *Aliquandiu in caſtris diverſatus &c. Nusquam gentium milites ſpectare licuit caloris & frigoris, item laboris & inediæ tolerantiores, qui ſtudioſius imperata faciant, lubentius dato ſigno pugnam ineant, ſe morti promptius exponant, item qui militarem ſeditionem magis deteſtentur: in caſtris quietius honeſtiusq; vivant, ſeſe religioſius agant, tumultus magis abominẽtur & rixas, colant avidius temperantiam & caſtitatem: & ab omni blaſphemia perjuria illegitimaq; venere, ſint magis alieni. Maxima pars equitum quibus uxores ſint, & liberi, triennium quandoq; aſſiduo militare coacta, nunquam conjugii fidem violaſſe creditur. Si quis cum ſcorto deprehenſus eſt, perpetua ſugillantur infamia. Fortitudinis & patientiæ ſunt plus quam Lacedæmoniæ. Hyeme juxta atq; æſtate caſtra frequentantur. Et quod meis hiſce oculis ſæpe vidi, ſub nivibus ac terra ne obſidionem deſerant inſtitutam toleranter hybernant. Vndè murum ſæpe more prodeunt ſtationibus, totam noctem, teſſerariorum juſſu, equites adſunt: neq; loco moventur, neq; de rigenti algore querũtur. Et quamvis plerisque membra veſaniente frigore obſtupeſcant, invicto tamen animo cuncta*

cuncta patiuntur: liberos in caſtris alunt, ibique militaribus ſtudiis informant. Ex quo fit ut gens Vngarica bello aſpera, ita inſtituta ſit &c. 312. *Ordo* eſt *ante & in Congreſſu* cum hoſte. 313. Ante *Pugnam* in loco accommodo & præſertim campoſo, quia *equitatu gaudent*, inſtituunt aciem per *Numerum & Figuram.* 314. *Numero* aciem variant *Simplici, duplici, triplici, quadruplici &c.* 315. Sic *Acies Ludovici II. in latiſſimis & patentiſſimis illis campis Mohaczio ſubjectis in duo agmina diviſa eſt &c.* Iſthvanfi & Prodericus. 316. Idem de pugna Joannis Huniadis cum Turca in *Campo Merula* Thvvroczius: *Ordinatæ ſunt per dominum Gubernatorem omni ſua de gente, quam ducebat, acies octo & triginta &c.* 317. Huc adde ex Jornande Prælium Attilæ in Campis Catalaunicis. 318. Juxta *Figuram* acies *Cuneata, rotunda, quadrata* eſt &c. 319. De Hunnis Ammianus: *Et ineuntes prælia cuneatim variis vocibus ſonantibus torvum.* 320. *Rotunda* forma ordine primo *quandoq; acies undiq; curribus catenatis vallatur & cingitur.* 321. Sic de Attila Jornandes: *Se ſuosque intra ſepta caſtrorum, quæ plauſtris vallata habebat, recluſit,* &c. 322. Idem de acie Ludovici II. Iſthvanfi & Prodericus. 323. *Figura Cuneata* aut *Quadrata* & alia, à fronte & tergo, dextris & ſiniſtris equites & pedites per gentes & nationes diviſi ſunt. 324. Jornandes de Attilæ prælio: *Cornua ejus multiplices populi & diverſæ nationes, quæ ditioni ſuæ ſubdiderat ambiebant.* 325. Uſitato autem more in agmine præcipuo, *quam aciem Stataria appellamus*; Prodericus. Regem in medio ſtatuunt cum flore & robore bellatorum ſuorum ſeptum, *quem de more volunt prælio intereſſe*, Prodericus. 326. Sic in campis Catalaunicis *fuit Hunnorum acies ordinata, ut in medio Attila cum ſuis fortiſſimis locaretur; ſibi potius Rex hac ordinatione proſpiciens, quatenus inter gentis ſuæ robur poſitus, ab immani periculo redderetur exemptus*, Jornandes. 327. Idem de acie Ludovici II Prodericus & Iſthvanfi. 328. Itaq; in prælio exiſtentem ex pervetuſtâ conſuetudine *Nobiles Hungariæ communiunt Regem circumquaq; ſuntq; Regi pro muro inexpugnabili*, ut de Colomani Regis prælio cum Cunis & Rutenis commiſſo ſcribit Thvvroczius, & alii de aliis. 329. In eodem agmine non procul à Rege, Regale Signum: videlicet *Ingens vexillum Divæ Virginis Mariæ imagine deaurata conſpiciendum, à Iudice Curiæ, de quo ſuperius retulimus* (num. 168.) *ſuſtinetur: cui de veteri more calcaria detrahuntur, eo ſcilicet monimento, ne de fuga cogitaret*, Iſthvanfi de acie Ludovici II. 330. Mox congreſſuri cum hoſte: *Palatinus Regem ex loco deſignato per univerſum exercitum circumducit: ibi eum præſentem omnibus manu oſtentans, Concionabundus paratum dicit omnia extrema & mortem ejus pro Patria, pro Sacra Chriſti Dei Opt. Max. religione, pro conjugibus & liberis eorum, &c. Hæc & alia talia cum Palatinus*

& simul etiam Rex, omnibus ordinibus obequitatis, commemorassent: Rex locum & ordinem suum repetit &c. Prodericus de acie Ludovici II. 331. *Aculeam poscit, ut capiti imponeretur*, de eodem Isthvanfi & Prodericus. 332. Attolli *signa Vocalia* & *Muta* imperat. 333. *Vocalia & Naturalia & Instrumentalia* sunt, quibus suos milites ad pugnandum incitat, & hostis provocat. 334. Naturali *sonitu exoritur clamor vel cantus potius* IESU SALVATORIS *nomen invocantium de more*, Prodericus. 335. Olim clamabant ter DEUS, &c. Caus. Eff. disq. 14. 336. *Instrumentalia* cum clangore inflantur, ut sunt *Tubæ, Modi, Tibiæ*. 337. Quarum *duplex ratio: Dorica & Ionica*, de quibus Scaliger in arte Poetica: *Dorica Vetus, magnifica, sublimis, gravis, contenta, nihil habuit fusum, nihil solutum, nihil hilare, nihil molle: sed plenum, vehemens, paucis modicisq; flexibus, bellicis conveniens numeris & motibus. Pannonium & Getarum Scytharumq; nostris etiam temporibus talem audivimus in Dalmatia ac Transylvania & Mysia superiore*, hæc ille. 338. Cum sonitu reboant & pulsantur *Tympana*, Hungaris *Dob*, Austriis Hörbaucken/aliis Keßeldrumel. 339. *Muta Signa*, quæ in Congressu Hungaros animosos ducunt & dirigunt, timidos à fuga, solo intuitu & aspectu sistunt; sunt *Aquilæ, Dracones, Vexilla*. 340. Olim *Attila in Vexillis coronatam ferebat Aquilam* &c. Bonf. dec. 1. lib. 3. Caus. Eff. disq. 252. 341. Hodiè imaginem *Salvatoris* nostri IESU CHRISTI, & D. *Mariæ*, &c. 342. *Dracones* Sidonius *Hunnis & Isauris tribuit* Carm 2. vers. 234.

Desit hostiles confestim horrere dracones.

343. Vt Carm. 5. vers. 410. *Vandalis*, ad quod Savarro. 344. Hodierna *Vexilla* Hungarorum, ad similitudinem aliarum nationum fere accedunt. 345. Inusitatissimum verò vexillum *Dyonisii Ducis* Hungarorum ante aliquot sæcula descripsit Nicetas Choniates lib. 5. in Manuele Comneno Imp. Græcorum: *Vexillum ejus in crassa & alta trabe, quam rotis impositam quatuor juga boum trahebant, sublime à ventis agitabatur.* &c. 346. *Turmatim confligunt non tamen toto agmine*, Sabellicus. 347. Nam qui à fronte pugnant nullo certo loco permanent, sed ubi necessitas illos postulaverit. 348. Agmen verò novissimum & quod in subsidium est, Statarium est, ut observare licet in acie Ludovici II. Regis. 349. Sic Matthiæ I. Regis *Legio* sive *Turma Nigra, non tumultuario prælio, sed statario sincere consuevit*, Sambucus Appendice ad Ransanum. 350. *Atq; inde Hungari in congressu ea præditi sunt audacia, ut nihil magis ignominiosum apud ipsos sit, quam aut locum relinquere, aut tergo vulnus accipere*, Tubero. 351. Cum olim *Hunni Statatria quidem pugna prorsus neq; poterant, neq; norant hostem adgredi*. Zosimus & alii, Idem Regino Prumiensis & alii de Hungaris. 352. *Coercitio* est in Constitutionibus & Decretis Regum comprehensa, uti art. 23. 24. 25. Novizol. M. D. XLIII. 353. Et hæc de *Generali Expeditione*: de *Particulari* loquitur art. 22. Poson. M. D. LVI.

Atq; sic dispositio *Causæ Formalis* erit.

FINALIS.

1. Sequitur, *quæ ultima Regni perfectio est*. 2. *Communiter Finis* cujusque *Imperii, gloria Dei, & salus subditorum*, Reinking. 3. *Propriè* considerabo quæ *Firmum* & *Caducum* efficiunt Regnum Hungaricum, & hæc ipsa subtilius dividam hoc ordine, ut à Iusto Lipsio in Politicis factum est.

SEQUUN-

SEQUUNTUR JAM ICONES NONNULLÆ PARTIM PERSONARUM PARTIM NUMISMATUM OPERI NOSTRO SERVIENTIUM.

HUNNUS ANTIQUUS EX PROBATISSIMIS Authoribus ad vivum pœnè (nisi quod vultum subtristem pro feroci lapsu Calcographi præ se fert) expressus, unà cum armis, nunc apud Hungaros usitatis.



HUNGARA HÆC ANTIQUA EXPRESSA EXtat in calce Tom. 2. libro de Diversarum Nationum Habitu, edito ab Alexandro de Fabris, è regione Moscicæ mulieris antiquæ, fortè unius illarum quæ adhuc in Juhra sub Duce Moscoviæ habitant, de qua re Vide disq. 199. Caus. Eff.



Hungara ex antiquo

EC

ECTYPVS S. CORONÆ HVNGARICÆ EX PROTOTYPO Illustrissimi Comitis Petri de Revva S. Coronæ Duumviri, quem habet in Commentario suo de S. Corona Hungariæ, depromptus, una cum Insigniis Regni Hungariæ.

SACRA, ANGELICA, ET APOSTOLICA REGNI HVNGARIÆ CORONA



NVMMVS MISSILIS
SPARSVS VIENNÆ AVSTRIÆ IN FESTIVITATE
Sponsaliorum Ferdinandi Archiducis Austriæ, & Annæ Vladislai Hungariæ Regis filiæ.



NVMMI CASTRENSES
Cusi viennæ Austriæ, soluta obsidione Solymanni Turcarum Imp. post funestam ad Mohacz cladem.







NVMMVS VOTIVVS
FERDINANDI ROMANORVM REGIS: CVSVS
ante expeditionem Hungaricam & Budam obsessam.



NVMMVS CASTRENSIS
FERDINANDI REGIS, MAVRITIO ELECTORE
Saxoniæ contra Turcas proficiscente: Cusus
Anno Christi 1552.



MVV2

NVMMVS TRIVMPHALIS

IOANNIS BAPTISTÆ CASTALDI, SVMMI EXERCI-
tus Cæsareani Præfecti: Lippâ Turcis ereptâ, inque Christia-
norum potestatem redactâ: Anno
Christi 1552.



NVMMVS CASTRENSIS

FERDINANDI ARCHIDVCIS AVSTRIÆ, EXPEDI-
tionem in Vngariam, contra Turcam suscipientis:
Cuius Anno 1556.



NVM.

NVMMVS MEMORIÆ

FERDINANDI ROMANORVM REGIS DICATVS:
Transylvaniâ ex pacto receptâ: Cuius Anno 1558.
aut circiter.



NVMMVS CASTRENSIS

IOANNIS SEPVSIENSIS SECVNDI CONTRA
Maximilianum Imp. arma moventis: Cuius
Anno 1565.



NVM.

NVMMVS CASTRENSIS

LAZARI SCHVVENDII BARONIS IN HOHENLAND.

sperg: Cæsarei exercitus in Hungariâ & Transylvaniâ summi Præfecti: Cuius rebus feliciter gestis contra Turcam anno 1565.



NVMMI CASTRENSES AC TRIVMPHALES

REBVS IN HVNGARIA PROSPERE GESTIS

Strigonioque Turcis erepto, Cusi Anno 1595.



NVM.



NVMMVS CASTRENSIS

SIGISMVNDI BATORI TRANSYLVANIÆ PRINCIPIS,

cuius durante expeditione contra Turcas anno 1596.



b

NVM.

NVMMVS CASTRENSIS

HONORARIVS RVDOLPHI II. IMP. CVSVS expeditione contra Turcam durante.



NVMMVS TRIVMPHALIS

IAVRINO RECVPERATO A CHRIstianis cusus.



NVM-

NVMMVS ICONICVS

RVDOLPHI II. IMP. ROM. PROFLIGATO Cardinale Bathorio, & Transylvaniâ recuperatâ, cusus anno 1599.





NVMMI TRIVMPHALES

IN EXPVGNATIONE ALBÆ REGALIS OPE DEI & consilio Rudolphi II. Imp. factâ, cusi.



NVMMI ARGENTEI

IN MOTIBVS HVNGARICIS NOTISSIMIS
à Stephano Bochkay Principe Transylvaniæ
cusi.



SAV-



MARCVS BAXAM VNGARVS.

Sauciatam Effigiem Marci Baxam

Ab oblivione ideo vindicare volui, quia ſtupore & admiratione vix vacat, Capitaneo huic Hungarico, à Turcâ quodam in prælio, lanceam per oculum adactam, lethale vulnus ad mortem non intuliſſe: nam diligentibus Chirurgorum curationibus obductum eſt, & miles iſte poſtea (ut ab Iconographo quodam Auguſtano, qui mihi effigiem iſtius depictam vendidit, didici) pluribus vicibus, ſtrenuum ſeſe contra hoſtem exhibuit. Hæc ita ſe habere, docuit me & Cl. D. Caſpar Simonides, qui mihi ſimilem iſtius effigiem, ante viginti annos depictam, viſendam præbuit: hiſtoriam tamen ejus, ut recentem, nullibi inveni. Nomen etiam illius, vitio forte linguam Hungaricam ignorantium, ſic ſcriptum, appoſui, quamvis pro BAXAM, legendum malim BAKSAY: quia litera x Hungaris, quod ſciam, non eſt in uſu, utpote qui k frequentius inſerunt. Sed de Perſonæ factique tempore, erunt adhuc in Hungariâ, quibus conſtabit: & hæc à me appoſita ſunto ad inquirendam rei veritatem.

Atque ſic, levi graphide ſive penicillo, delineatis & adumbratis Breviariis Cauſarum, Imaginibusque perſonarum cum nummis memorabilibus, *manum de tabula tollo.*

FINIS.

